ALEXANDRI NEVYLLI ANGLI,

De furoribus Norfolciensium Ketto Duce,
Liber vnus.

Eiusdem
NORVICVS.

LONDINI,
Ex officina Henrici Binnemani Typographi.

Anno salutis humanæ
CIↃ.IↃ.LXXV.



¶ In obitum amplissimi Præsulis, Matthæi Parkeri Cantuar. *Archiepiscopi eiusdem*

Alex. Neuylli carmen.

SIC CONSTAT mortale nihil: sic luminis oras
Quæ subeunt, abeunt: rapit (heu) rapit omnia tellus
Quæ peperit: refugusq; vigor mortalibus ævum
Decurtat miserum: dociles non parcere Parcæ
Sic occant nimium: sic sic abrupta beati
Stamina Parkeri, *tantum dant flere misello*
Orbatoq; gregi, quantum bona commoda vitæ
Voluerat aureolus cursus, plebesq; regendi
Gnarus amor, sollersq; animus, fluidosq; premendo
Mite supercilium, mens & lentando modesta.
ET MEA *quæ tanto viduata camœna patrono est,*
Luget in abruptum: rursus decidua fatis:
Rursus inhorrendas mundi sensura procellas.
O bene cœlicolæ, tanto quod functus honore
Euicit linguasq; hominum, nigrasq; loquelas.
Quas spargit numerus, quas sacra insania ructat:
ERGO IACE *venerande heros: & murmure stulto*
Inuidia maiorq; omni, felixq; peracto
Obdormi stadio: nos hic tua facta sonamus:
Te pleniq;, & amore tui: te flemus ademtum.
Te te magne pater nos hic veneramur, amamus,
Et tanti æternùm mirabimur acta magistri.

Libri post defunctum patronum editi,

Prosopopœia.

Flebile principium (si quid præsagia monstrent)
Fortunæ auspicium prosperioris habet.
Sed quid habent veri præsagia inania? quæue
Possit ab hoc tanto spes superesse malo?
Da (Deus) auspicium signis melioribus oro:
Huic metuo diras omnì inesse minas.
Haud facile optatum cursu contingit honorem,
Turpiter in primo carcere lapsus equus.
Haud facile optati portus contingit arenas,
Infœlix patrijs mersa carina vadis.
Sed grauior fortuna mea est, & tristius omen
Anteferè erepta est, quàm data vita, mihi.
Ecce extrema mihi vixdum superaddita lima,
Vix signata suis pagina prima typis:
Cum decus (heu dolor) ille ingens, decus occidit ingens,
Pars animæ, & vitæ magna columna meæ.
Fata queror nostra nimium contraria rebus,
Syderaq; auspicijs facta proterua meis.
Nam tua dum properant nimium, & mea fata moratur
Te mihi surripuit, (Spes mea) meq; tibi.
Infœlix ego quid merui? cur Posthuma proles
Nascor, & in seros differor vsq; dies?
Aſt quia non tecum patiantur viuere fata:
O vtinam in tumulo dent latuisse tuo.

G. A.

Ad librum post defunctum patronum editum, Carmen consolatorium.

Non benè venales poscunt præconia merces,
Hædera laudatrix, vilia vina decet.
Cætera præsignes sibi quærant scripta patronos,
Claraq; Magnatum nomina fronte gerant:
Nil opus ascitis titulis tibi, pone querelas,
In te præsidy est satq; superq; tibi.
Seu tibi diffidas, αὐθρωπε tandem aspice Ἀλεξις,
Is solet esse alijs, is tibi Ἀλεξις *erit.*
Is pater est, idemq; simul pater, atq; patronus,
Ille dedit vitam, & proteget ille tuam.
Insuper ex merito Norsolcia tota patrona est,
Angliaq; ex merito est tota patrona tibi.
Adde quod ex alys, vitæ exemplaria priscæ,
Si quem delectent scripta, patronus erit.
Deniq; si quis erit qui quid memorabile gesſit,
Vel non diffidat posse, patronus erit.
Neue aliquis desit: cuius nunc funera luges,
Ipse etiam inuita morte patronus erit.
Nam fera quod potuit diro mors abstulit vngue,
Terræ quicquid erat, cætera non potuit.
Corpore nam posito fama est & honore superstes
(Quippe ab honore nihil mors violenta rapit.)
Corpore deposito viuit virtute superstes,
(De virtute nihil mors violenta rapit.)
Corpore deposito mente est, animaq; superstes:
(Sacra ex mente nihil mors violenta rapit.)
Ergo & honore suo, virtute & mente superstes
Is tibi maiori parte patronus erit.

G. A.

In Alexandri Neuylli Kettum
Thomæ Drantæ carmen.

ERGO Neuylleo vulgabere Kette cothurno,
Tuq; furorq; tuus, scelus excidiumq; tuorum?
Vtq; in grande nefas, atq; in sua vulnera versi,
Plebs hominum ruit, & sociarunt fœdera fures?
Ilicet est actum: totus de nomine puro
Tolleris, famaq; niger turbabere cœcos
Ad manes: tu voce viri, tu voce Neuylli
Sordescis, pollentis opes & numina linguæ
Te vitiant, te, te, præstans facundia perdet.
O mihi post nullos memorande Neuylle diserros,
O docti pars multa chori: ceu namq; puellos
Ingenio, genio, calamo, sermone, puellus
Anteibas, ita virq; viros, ita maximus vnus
Omni ætate viges, & nos post terga relinquis.
Nec tua quæ tanto præcellit Musa nitore,
Cui triuiale nihil, nunquam cui friuola curæ,
Tam modicis flueret venis, inflaret auenas
Tam tenues, fieretq; humilis sub iudice mundo.
Te nisi non albi tereret lex ferrea fati,
In peius rerumq; vices, & moriger arctis
Præsulis imperijs animus flexit, fecitq; minorem
Marte suo, veteriq; bonum de more labare.
Cumq; tui valeant humeri, nec ferre recusent,
Et tuus antistes iam non sua iussa suburget.
Sumito materiam Iouio vel Cæsare dignam,
Desine tu Kettos, atque indiga dicere castra,
Hæc arbusta tace, teq; his exsolue myricis.
Tu cane vel reges, vel regia, maxima semper
Magne sona: canor & florens te gratia fandi
Intulerint cœlo, potes, ô potes, esse beatus.
I puer aurato iubeas velentur amictu,
Quæ sua præclustris perarabit cumq; Neuyllus.

In hiſtoriam Alexandri Neuylli, Hendecaſyllaba.

VIRBIVM ne putabis abs auara
Demiſſum Styge? poſſe vel renaſci
Hoſpitem Pythicis vel enotari
Bis fata? ac iterum ſepulta reddi
Terræ corpora? quale fabuloſi
Solent fingere per iocum Poëtæ
Monſtrum, quale vel impetu minore
Format Pythagoras renatus Orco.
Iurabis Liuij, Saluſtijq;,
Cæſariſq;, Demoſtheniſq; Graij
Calores veteres adhuc vigere,
Tulliumq; quietè Tuſculana,
Nouis ſedulò rebus occupatum.
Nempè, qui nouus exit hic libellus,
Neſcis, vtilior vè, dulcior vè,
Verior, melior, Latiniorue,
Maior, purior, elegantiorue.
Vnus vt referat ferè vniuerſos.
Sed nec numina fallier licebit,
Nec, quos cymba tulit, reuexit.
Exſpectas igitur, quis hos poliret
Libros? hiſtoriamq; tam eruditam?
Ille qui ſapienter æmulatus,
Quos ætas prior exſtulit, vel ipſos
Æquauit Zephyro ſecundiore.
Huc qui tranſtulit Atticos colores,
Romanumq; ſalem, decuſq; linguæ.
Cui cùm munera ſumma largiantur
Pelaſgi, Latijq; doctiores:
Nulli, quid tamen vt ſuum reposcunt.
Atqui vis propiùs videre quis ſit,

Est, dico, studiosus omnis huius
Virtutis bene quæq; ponderantis
Hic quos longa premebat, inuidaq́
Nube condidit atra nox, recludit
Fastus, historiamq; cœciorem
Ornat luce decenter insolenti.
Hic nobis patrios lares, domosq́,
Auitosq; focos, fecitq; nobis
Incunabula nostra notiora.
Hunc ergo maneant (fauente fato,)
Sera sæcula posterûm nepotum:
Vt mistus Rhetorum choro, iacentes
Terras despiciat volante fama,
Nos æui breuis, ac inerte vena
Ignoti, procul à foro remoti
Admirabimur hæc, silebimusq;.

Typographus Lectori.

DEdimus operam equidem (quantum in nobis fuit) vti liber iste purus & integer, nullisq́ respersus lituris hominum in manus perueniret. Sed dum Author longius abesset, & pericula (sic folia appello quæ non seriò, sed periclitandi tantùm gratia excuduntur) ad eum sæpè nulla, prima rarò, secunda verò nunquam deferrentur: factum est vt nostræ diligentiæ industriæq; non vnaequàque responderit euentus: nonnullaq; (imprudentibus nobis) errata irrepserint. Ex his quædam expunximus: reliqua (propterea quia id in excuso iam codice minus commodè fieri posse videretur) quemadmodum corrigenda sint, te Lector optime admonendũ curauimus. Vale.

Errata præli.

Prior numerus paginam, secundus lineam denotat.

21. 21. labefactandam, lege labefactandum 79. 8. metuentes, lege metuebant. 81. 1. spe, lege ope. 94. 1. incænsæ, pro incensæ. 95. 6. subdebilitatem, lege subdebilitatam. 98. vlt. Ita, lege Item 120. 1. & 2. animos vincendi, lege animis viuendi,

Quædam inciderunt alia, quæ quàm aptè potuimus quibusdam in locis emendauimus.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI EDMVNDO ARCHIEPISCOPO EBORACENSI, ANGLIAE PRIMATI, ALEXANDER NEVYLLVS S. D.

COGITANTI mihi (Præsul illustrisime) cuinàm potisimùm labores consecrarem meos, tu maximè eo mihi munere dignus occurrebas, qui amplisimis tùm in honoribus, tùm fortunis, quibus diuina te clementia circunfudit, maximarũ quoq; virtutum splẽdore circumfluis. Nam cùm Cantuariensis (ille magni nuper nominis Heros) cuius perillustri persona spes meæ dudum nitebãtur omnes, ab illiberali me otio, ad hanc

ſcribendi curam ſollicitudinemq́; traduxiſſet: nunquam ſuſpicari (nedum vereri) mihi in mentem venit, fore vti meis optimis perinimica ſemper atque peraduerſa fortuna conſilijs, tam ſubitò, tanto me rerum mearum preſidio orbaret. Sed quemadmodũ nihil eſt in vita quod non mihi ſæpiſsimè ſors iniecerit, quo me vexaret acerbi, neque vnquam tam ſecundis ventis vſus ſim, quin ij mihi protinùs reflarint: ita huius præſtantiſsimi Antiſtitis interitus, plagam mihi certè inflixit acerbiſsimam & ſempiternam.

Et verò is miſerijs huius moleſtiſsimæ vitæ perfunctus, integris ſenſibus, ætate optima, è vita, tanquam è ſcena benè peracta fabula diſceſsit, meo autem magno malo detrimentoque interceptus exſtinctuſq;, incredibile mihi præ cæteris omnibus ſui deſiderium reliquit. Proinde cogor à pontifice, ad pontificem, id eſt ab ampliſsimo & propè cœleſti viro (mortuo

tuo tamen) ad viuum te,& præſulem,& virum veris virtutum laudibus præſtantem,confugere. Quis autem hos libellos exceperit,ſi tu reieceris? Aut quem mea Poſthuma proles tutorem inuenerit ſi tu aſpernabere? Aut cui denique hij noſtri labores, viuentis Archiepiſcopi imperio ſuſcepti, & morientis teſtamento comprobati, grati erunt atque iucundi ſi tibi Archiepiſcopo & optimo, & ſapientiſſimo minùs probabuntur?

Verùm enimuerò maxima ſpe ſum, fore vt ſicuti is nuper nobis ſolatium, ornamentum,ac columen exſtiterat,(ſemperque proculdubiò exſtitiſſet, ſi ſemper per ętatem viuere licuiſſet)ſic tu viciſsim (nam quis te vno aut ſanctior vnquam, aut dulcior eſt habitus?) noſtræ ſis orbitati ſolitudiniq; præſidio futurus.

Neq; porrò me ea deterrent,quæ ſunt in te ſumma omnia, eximius vitæ ſplendor, grauitas admirabilis, doctrina per e-

gregia, ſingularis prudentia, præſertim cùm tantis illuſtratus excellẽtiſsimarum virtutum luminibus, permultùm meæ obſcuritati (ex tua amplitudine) ſplẽdoris adferre poteris: iſq; vir ſis qui in omni vita, cum prudentia perinſigni, incredibilem quoq; comitatem coniunxeris.

Itaque licet fortaſsis cuiquam audacter nimis, atque ſubruſticè facere videbor, qui te tantum Præſulem tam pænè nullus affari non dubitem, tamen minori ſum verecundia, propterea quia hoc quod rogo, & tuæ perſonæ aptiſsimum erit, & demortui Antiſtitis volũtati, (ſi quis vita functis ſenſus ineſt) in primis conſentaneum. Rogo autem, vt quandò is moriens hos mihi libellos, (quos nunc amplitudini tuæ dono dedicoque) typis peruulgãdos reliquerit: (qui funeſto omine ſuſcepti, & poſt defunctum patronum in lucem editi, hominum ora cõſpectumq; horrent atq; refugiũt,) hijs tu ad gratiam

&

& noſtrorum hominũ exiſtimationem commendationi atq; decori eſſe digneris. Tum ſi tenues tibi nimium atque ieiuni, nimium rerum ac verborum inopes videbuntur, & iccircò doctiſsimis perpolitiſsimiſq; tuis auribus indigni, feras tamẽ: ijſque oculis, eodemque quibus omnes bonos intueri ſoles vultu, contemplerẽ. Quod æquiſsimo te facturum animo (Præſul optime) confido: tùm quia potes, tùm quia ſoles benefacere quàmplurimis: eſtq; hoc naturæ tuæ, tuiſq; dulciſsimis, ſuauiſsimiſq; moribus coniunctiſsimum.

DEVS Opt. Max. amplitudinem tueatur tuam, concedatq; vt vbi perdiù nobiſcum in terris lætus atq; hilaris vixeris, inter cœlites tandem cum CHRISTO IESV æuo perpetuo ac ſempiterno perfruare. Londini. a. d. VII. Kalend. Decemb.

CIↃ.IↃ.LXXV.

Amplitudini tuæ deuotiſsimus,

ALEXANDER NEVYLLVS.

Reuerendiſsimo in Chriſto patri D. Matthæo Cantuarienſi Archiepiſcopo, totius Angliæ *Primati & Metropolitano,*

ALEXANDER NEVILLVS.

IVINITVS *contigiſſe puto (Præſul ampliſsime) vt quã Deus opt. max. amplitudini tuæ ſedem ac domicilium eſſe voluerit, eadem ſit etiã hoc difficilimo tempore mœrori meo ac ſolitudini perfugium. Nam cùm inſigni ac propè admirabili laude apud omnes bonos circumfluas, cumq; tibi ſummum dignitatis decus vniuerſi tribuant, & ſingularis*

cuiusdam sapientiæ atq; cõstantiæ laudem impertiant, in his tantis molestijs, quibus vndiq; circumfusus sum, quid mihi accidere potuit, vel ad præsentis vitæ cõditionem illustrius? vel ad præteriti temporis solatium iucundius? vel ad futuræ ætatis spem præstãtiùs? quàm in domo tanti Pontificis, tanta virtute, facilitate, & morum elegantia redundantis assiduè versari? Itaque sic afficiebar interdum, vt quoties istius rei mihi in mẽtem venisset (venit autẽ sæpissimè) toties omnes illæ curarum vndæ quæ in animo perpetuò efferuescebant meo (quasi mare ventis cessantibus) continuò deferbuerint. Et certè, dum nihil vndiq; nisi pudicum, nihil nisi pietatis, pudoris, ac continentiæ plenum intueor, fit, nescio quo pacto, vt desyderio acriori, ac multò (vt mihi videor) vehementius incenso, ad illarum rerum imitationem inflammer. Accedit huc etiam, quòd non plus opibus & potentia, quàm illustri humanitatis laude præcellas: neque solùm eos, qui tibi famulantur, fortunis ac facultatibus iuues, verũetiam gratia, fauore, consilio, auctoritate, beneficentia sustẽtes.

Vndè

Vndè adeò factũ est, vt tacitã inconsideratæ temeritatis meæ reprehensionem non magnoperè pertimuerim, quòd amplitudinem tuam his meis literulis tam fidenter affatus sim. Neq; enim fieri potest, vt humilimum amplissimus, aut sui obseruantissimũ humanissimus Pontifex aspernetur. Quapropter ardentissimis votis ac precibus obtestor, vt hos industriæ meæ flosculos verius quàm fructus, quos honori tuo obtulero, (obsequij & amoris monumentum erga te mei) læta fronte ac benigna suscipias. Quod te facturum pro illa tua præstanti pietate, qua omnes omnium literatorũ hominũ conatus, ac studia prosequeris magnoperè sanè confido. Etenim labores hos meos quos in Ciuium Norwicensium rebus gestis te auctore explicandis suscepi, Amplitudini tuæ consecrare decreui. Qua in re tum cultus & obseruantiæ in te meæ, tum mentis meritorum erga me tuorũ non immemoris excusatione, tam inscitiæ crimen quàm impudentiæ labẽ deprecabor. Nam cùm tua me amplitudo ad scribendum potissimùm impulerit, & mihi (quod aiunt) currenti quasi cal-

car abhibuerit, inhumanum me esse certè oportebat, & non solùm bonitatis tuæ oblitum, verumetiam officij prorsus immemorem mei, si tibi neq; hortanti obsequerer, neq; imperanti. Preterea cùm te tanta dignitate, consilio, prudentia, ætate, vigilantia, & (quod caput est) grauissimis plerumque rei christianæ publicæ muneribus implicitum Presulem, ea semper mente præditum perspexerim, nullæ vt te vnquam cogitationes à præclarissimarum disciplinarũ studijs & Musarum veluti complexu abstrahere potuerint, dũ omnia omnium antiquorum hominum monimẽta scrutaris, omnium doctrinarum ac disciplinarum omnes libros exhauris: cumq; domi semper tuæ Academiam quasi quandam literatorũ hominum florentem animaduerterim, qui perpetuò præceptis adhortationibusq; inflammati tuis, sui quotidiè fructus ingenij proferre consueuerint, profectò mihi nisi inertiæ nequitiæq; maculas inûri voluissem, aliquid tale præstandum aut certè conandũ fuit, in quo significatio saltem nonnulla industriæ ac voluntatis ostenderetur meæ. Præsertim cùm

tu

tu (vir talis ac tantus) semper mihi & ad suscipiendam, & ad ingrediendã horum studiorum rationem, auctor & princeps exstiteris. Videlicet in hanc cogitationem (prudentissime Pontifex) perpetuò incumbis, vt domi semper tuæ doctrinæ atque humanitatis studia, à cunctis celebrentur: maximaq; delectatione perfunderis quoties domesticos tuos literis ac bonarum artium disciplinis deditos conspexeris: Solesq; eos quos in familiam asciscis tuam, imprimis cohortari vt eruditionem ac pietatem ardenti desiderio consectentur. Quæ quidem me impulerunt vt ego quoque mihi in istiusmodi rebus pro virili parte elaborãdum statuerim, nõ tam vt tibi gratificarer (quãquam quid est quod flagrantius exoptem?) quàm vt mihimetipsi prodessem, planumq; cunctis facerem quibus domi tuæ studijs ac cogitationibus tempus traduxerim. Feci itaque quod debui, & feci equidem non inuitus, vt onus illud quod tu mihi imponendũ putãris alacri mẽte subierim. Quod si me quandoq; oppresserit (fieri enim non potest quin tanto impar oneri sustinendo, sæpe-

numerò ſuccubuerim) tuæ erit humanitatis, (Præſul optime) iacentem patrocinio ſubleuare tuo. Præſertim cùm dum tibi imperanti, & ad hanc me quæſtionem pertractãdam crebriùs excitanti, non parere nefas eſſe duxerim, plus in me forſitan oneris quàm perferre potui receperim. Vtcunque erit, non patitur tua te tam excellens naturæ bonitas cuiuſquam indignitatem aſpernari, & ego is ſum qui cùm in præſtanti tua virtute ſpes meas omnes defixerim, nullius alterius iudicium magnoperè reformidem.

Et quanquam non defuturos quoſdam ſuſpicor (vt ſunt nonnulli huius ætatis homines moroſi nimiùm & difficiles) qui mihi, neſcio quod temeritatis & imprudentiæ crimen infligent, tamen & aliorum exemplis me cõſolabor, & tempora magis amica virtuti ſperabo, nec me fœlicem minus ſi probris onerarint, quàm ſi laudibus ornarint, exiſtimabo.

Alterum eſt genus hominum eruditiſſimorum atque in bonarum literarum diſciplinis aſſiduè verſantium, quibus ego magnoperè cupio ſtudium

&

& industriam probari meã. Hij si fortè in scriptis nostris pauca admodum (imò potiùs nulla) deprehenderint, quæ sitim illam suam rerũ præclarissimarum inexplebilem restinguant, sic habeant cupisse me optima, præstitisse mediocria, polliceri vberiora. Dent igitur tenuitati & inopiæ veniam meæ, sciantque hæc quæ nos hijs libellulis aridè sanè & ieiunè complexi sumus, non ex Academicorum fontibus, sed ex industriæ nostræ riuulis profluxisse. Neque porrò à me præreptam cuiquam, sed potius omnibus præbitã scribendi ansam existiment, si qui fortè post hac, aut per se meliora indagauerint, aut accepta ab alijs perfectius ædiderint: cùm nihil interim mihi magis vnquam in votis exstiterit, quàm vt quæ inter scribendum, vel per incuriam omissa, vel per inscitiam incognita exciderint, ea à peritiore tandem artifice plenius pertractentur. Tu autẽ Præsul dignissime, fauoris tui radios in hos teneros ingenij mei fœtus transfundere digneris, eosq; patiare tui nominis amplitudine illustrari. Quã sint ibecilles, quã tenues, quã nullarũ viriũ vides,

vides, ſine ſanguine, ſine ſucco, nullis neq̃ religata oſsibus, neque neruis astricta. Lucem mediusfidius perferre non poterunt, ſi non admirabilis tua bonitas illorum cœcitati clementiæ tuæ lumen prætulerit. Nihil erit mihi vel ad opem firmius, vel ad deſiderium optabilius, vel ad nominis mei exiſtimationem accumulatius, quàm ſi tu mihi præſidio contra importuniſsimos maleuolorum hominum impetus fuiſſe videbere. Qua quidem in re quantum poteris non ſum certè neſcius (potes enim quantum vis) vt autem velis quantum potes, es mihi per illam tuam incredibilem qua vincis penè omnes humanitatem vehementius obſecrandus. Nihil habet fortuna tua maius quàm vt poſsis, nec natura tua melius quàm vt velis, ſubſidio eſſe quàmplurimis. Perge itaq̃ quod facis (præſul ampliſsime) fauere bonis, odiſſe improbos, virtutem extollere, oppreſsis opitulari, eruditos tueri, præmijs amplificare, conſilio, auxilio, miſericordia ſubleuare. Nihil mihi crede magnificentiùs, nihil præclariùs, nihil admirabiliùs, nihil neq̃ naturæ,

neque

que moribus tuis omni elegantia & suauitate perpolitis accõmodatiùs. Hæ sunt veræ virtutes, dignæ summo viro, dignæ Pontifice, te verò viro optimo & Pontifice amplissimo dignissimæ. Verumtamen non committam vt qui ad hanc scribendam epistolam vt tibi labores hos dicarẽ meos initio me contuli, nunc te hominem omnium sapientissimum, ad eas vitæ rationes horter & excitem quas ab ineunte ætate perpetuò complexus es, ne aut insolens viderer si prudentissimum, aut impudens, si præstantissimum, aut meæ conditionis oblitus, si illustrissimum admonere coner. Itaque finem scribendi faciam: illud tamen prius profitebor, quamuis vbiq; gentium exsistant multi, quos singularis tua bonitas liberalitate non leuiter conspersérit sua, sed planè obruerit: mortalem tamen viuere neminem qui plus se tibi debere existimet quàm ego debeã, neminem qui id libentius præ se ferat & agnoscat, neminem deniq; qui si quando opus fuerit, tenuissimas vitæ suæ facultates pro dignitate tua alacriùs profuderit. Cuius voluntatis, ac officij

ſeruitutem mei quo teſtatior omnibus eſſe poſſet, tibi poſteriſq; tuis harum literarum teſtimonio ſempiterno aſtrinxi.

Chriſtus optimus maximus amplitudinem tuam nobis & chriſtianæ Reipublicæ (cum ſumma ſemper dignitatis amplificatione) quàm diutiſſimè ſoſpitem ſeruet, & incolumem.

Amplitudini tuæ humillimus,
Alexander Neuillus.

ALEXANDRI NEVILLI
de Furoribus Norfolciensium Ketto Duce.

LIBER VNVS.

PTAREM equidem, vt hæ populares tempestates, & seditionum procellæ, quibus patria nostra (tẽpore Edouardi regis sexti) sordidissimorum hominũ scelere & perfidia perculsa & afflicta fuit, aut nunq̃ contigissent, aut (si fieri posset) illarum memoria penitùs ex omnium mentibus exscinderetur. Sed quoniam prę̨terita mutari nõ possunt, & hæc macula proditionis à pernicioſissimis ciuibus patriæ nostræ impressa, altius insedit in populi Norfolciẽsis nomine, ad memoriam sceleris

ſempiternam infixa, quàm vt penitùs deleri, aut prorſus exſtirpari queat: facilè patior oblatam mihi hanc huius hiſtoriolæ conſcribendæ facultatẽ, vt omnes intelligant quibus initijs hij tanti tumultus excitati ſint, ac qua tandem virtute compreſsi: penituſq; perſpiciant vulnera illa, ac ſeditionũ ſcelera patriæ noſtræ non à bonis viris & fortibus inflicta, ſed à deſperatorum hominũ flagitioſiſsimis gregibus inuſta fuiſſe. Illud certè apud omnes conſtat, incredibilẽ ex iſtiuſmodi rerũ cognitione vtilitatem ad poſteros dimanare: magnoſq; proculdubiò fructus cõſequentur homines boni, ſi ad hæc exemplorum documẽta acriter animos intenderint: & ex ijs ipſimet ſibi ſalubrẽ ac frugiferam vitę diſciplinã inſtituerint. Cõtraq; impij ac turbulẽti ciues, ſi qui fortè ſunt huiuſcemodi (quales eſſe in hoc regno vel nullos, vel non ita multos cõfido) ex aliorum calamitatibus ſapere ſibi condiſcãt: aut ſaltẽ ſi id facere nequeãt (nequeunt autem quia nolũt) horũ miſerabiles exitus contuentes, perhorreſcant.

ANNO Christianæ salutis millesimo, quingentesimo, quadragesimo nono, cùm ad regẽ Edouardum, eius nominis sextum, nõnulli grauiter conquesti essent, agros publicos intercipi, & à priuatis quibusdã hominibus circunsepiri: eius rei cura auctoritate regia hominibus grauissimis ac integerrimis delata est, quæstioq́; constituta, iusiq́; vt primo quoq́; tempore de istiusmodi quærelis anquirerẽt: & de tota re quàm fieri posset maturè, cognoscerent atque deliberarent. Quod cùm exisset in vulgus, palamq́; fieret, variiq́; rumores disiparentur, ac inter cætera Cantianos fossas complesse, & agros (quondam publicos) scrobibus ac sepiũ munimẽtis intercluſos aperuisse, id quia similiter in prouincia Norfolciensi factum non esset, de plebe homines quidam tenues ac seditiosi, apertè fremere ac indignari cœperunt. Exin immani se scelere ac nequitia constrinxerunt, vt

ipsi contra quàm fas esset, atq; iniussu regis idẽ facere conarẽtur, quod in Cantio factitatum esse audierant: cupiẽtes (vt exitus docuit) non tam agros publicos iniuria quorũdam circũseptos patefacere, quàm nefariam, nefarijs sẽsibus inclusam, omnia pereundi perdendiq; libidinem in rempublicam profundere. Ex quo bellum patriæ pernitiosum, & sibimet ipsis exitiale conflarũnt. Nam cùm fama istius nefandæ societatis multorum sermone percrebuisset, passim clandestina cõcilia iniri cœpta, multiq; multis in locis, obscuri & ignobiles viri suam Fortunam conqueri, ac in generosorum atque nobilium potentiam intemperantius inuehi cœpêrunt. Enimuerò » intollerandam iam procerum potentiam vi- » deri, suam verò cõditionem miserimam. Hos » affluere delitijs & omni rerũ copia circum- » fundi, languidisque liquefacti voluptatibus a- » uaritia duntaxat ardenti, & flagrantissimis » cupiditatum facibus inflammari, se labore & » vigilia penè enectos, nihil aliud in omni ætate

tate facere, nisi sudare, algere, esurire, sitire. « Quæ quidem quamuis misera sint & indigna « (sunt autem proculdubiò indignissima) ferri « tamen posse, si non hijs efferuescentibus mala- « rum delectationum fretis immersi, aliorũ ino- « piam calamitatemque insolenti nimis fastidio « insectarentur. Nunc verò se suamq; fortunã « hominibus superbissimis, omniq; mollitia & « otio defluentibus ludibrio esse, eam rem (sicu- « ti debet) tantum menti dolorem inurere, tan- « tamq; famæ turpitudinẽ infligere, nihil vt sibi « nec ad cõmemorandum acerbiùs esse possit, « nec ad tollerandum iniquiùs. Illam verò agri « possidũdi conditionem miserabilem ac planè « seruilem videri, ad procerum libidinem tene- « re se omnia, non liberè, sed ex præscripto & « tanquam ad domini voluntatem ac nutum: « continuò simulac quisquam aliquem ex pur- « puratis istis offenderit, fortunis omnibus exui, « priuari, deturbari. Quousq; tantã dominandi « libidinem inultã sinerent? Iamq; eò deuenisse « illos crudelitatis & auaritiæ, vt nõ cõtenti sint « omnia

» omnia rapere, ſpoliare, & per vim ac ſcelus
» adipiſci, quę in luxũ muliebreſq; delitias pro-
» fundant: niſi etiã ſanguinem penè ipſum, me-
» dullãq; ex venis & oſsibus exſuxerint. Agros
» publicos ſibi ac ſuis ſubleuandis à maioribus
» relictos adimi, prædia quæ patrum memoria
» cõmunia eſſent, ea nunc foſsis ac ſepibus di-
» ſtingui: paſcuis ſcrobes circunduci, omnes ſi-
» bi aditus intercludi. Quicquid volucrũ cœ-
» lum continet, quicquid piſcium mare cõple-
» ctitur, quicquid frugum terra parit & fundit,
» hoc omne illos deuorare, conſumere, abſor-
» bere. Naturam non ſufficere ad libidinem
» explendam, nouas quoq; artes excogitaſſe, &
» tanq̃ diſciplinas voluptatum, condire, ſuffire,
» aromatibus circumfluere, ſuauia ſuauibus af-
» fundere, omnia deniq; vndique cupiditatum
» inſtrumenta, ac lenocinia libidinum conqui-
» rere : cùm illi interim herbis ac radicibus
» veſcantur, ac continuo labore tabeſcant.
» Enimuerò quòd viuant, quòd ſpiritum
» ducant, quòd libero cœlo ac aëre fruantur

in-

indignari. Nõ posse amplius tantam ac tam « crudelem iniuriã perferre, nec æquo animo « nobilium superbiam intueri: ruituros se po- « tiùs in arma, & terrã cœlo misturos, quã post- « hac tã atrocia paterẽtur. Naturam vt illis, sibi « quoq; prouidisse, corpus & animam dedisse, « nũ cætera inuidisse? Formã cùm habeant ean- « dem, & sortem nascendi cõmunem, cur ha- « berent vitam dissimilem, & disparem fortu- « nam? Videre se ad extrema ventum iam esse, « velle quoque extrema experiri. Septa distur- « bare, fossas complere, aditum ad publica vni- « cuiq; patefacere, omnia deniq; quę illi nõ mi- « nus nefariè, quàm auare crudeliterq; circum- « sepsissent solo adæquare. Nec vtique pas- « suros se amplius oneribus inuitos præmi, « nec tantum dedecus admissuros, vt in his ma- « lis cõsenescentes, posteris miserã ac lugubrem « Rempub, relinquant, & multò quàm à maio- « ribus acceperãt peiorem. Quamobrem om- « nia se tentaturos, neq; vnq̃ nisi rebus ad arbi- « trium compositis quieturos. Cupere se liber- «

C. tatem

«tatem, & permixtam omnium rerum licen-
«tiam: hanc velle, alioquin huius tumultus e-
«undem qui vitæ finem futurum.

His irarum fluctibus & querelarum veluti tempestatibus iactati, concitarunt se inuicem perditi ac profligatissimi nebulones, pasisque velis ad ea scelera prouecti sunt, quibus & periculũ patriæ, & sibimetipsis exitiũ intulerũt. Ac non ita multò post contigit, vt ludi ac spectacula VVyndhamiæ celebrarentur, antiquitùs ita instituta, vt biduò, duabusq; noctibus perpetuis continuarentur. Ad quę cũ ingens omnium ordinum concursus fieret, proditores nequissimi in hoc solummodò intenti erant, vt virus inuidiæ suæ in patriã euomerẽt loci tãtum oportunitatem ac temporis exspectantes. Itaq; primũ clandestini fiebãt coitus, hominũ huc & illuc discurrentiũ, deindè secessiones & occulta colloquia: ad extremum verò tumultuari omnes & apertè insanire cœperunt. Cũq; inaudissent, Robertũ quendam Kettũ, Coriariũ, hominem ferum ac agrestem,

greſtem, importunaq; audacia ac violẽtia effrænata præditum, agri aliquantulum quod aliquando publicum fuiſſet, circumcluſiſſe, ad eum pleni furoris ac amentiæ cõuolauerunt, illiquè quæ ab illis conſilia pacis perturbandæ inita fuiſſent exponunt, ac vehementer ab illo depoſcũt vt quicquid publici circumſepſiſſet, protinùs reuulſis ſeptis, ac ſolo adæquatis, patriæ atque illis communi vtilitati conſulentibus concederet.

Kettus, vt qui ijſdem furorum flammis arderet, quibus iſti conflagrauerunt, facilè paſſus eſt ſeſe in ſocietatem tam execrandi facinoris aſciſci. Reſpondit omnia ſe facere paratum, præſtoque ſemper futurum non ad reprimendam ſolùm, ſed ad comprimendam procerum potentiam: ſperare ſe breui effecturum, vt ſicut illos ærumnæ, ſic iſtos ſuperbiæ pœniteat. Multa nefanda, quæ per hos annos perpeſsi eſſent, oſtendit, multas iniurias ac calamitates quibus affecti, afflictiq; fuiſſent: Iubet macte virtute eſſe, potentiam hãc

» tantam, tantam auaritiam, tantam ac tam in-
» auditam in omni genere crudelitatem, Deo
» hominibuſq; omnibus inuiſam ac execran-
» dam videri. Damna quæ Rebus publicis, a-
» griſq; communibus, ab importuniſsimis do-
» minis importarentur, ab illorum iniurijs ſe
» vindicaturum pollicetur, daturumque ope-
» ram, vt cui agro ille foſſam circundediſſet, id
» denuò ſibi cum omnibus publicum ac com-
» mune fiat, illamq; ſeſe primo quoq; tempore
» ſuis manibus completurum. Addidit ad ex-
» tremum, ſe commodis illorum nunquam de-
» futurum: habituros illum non comitem dũ-
» taxat, ſed Ducem, non tantæ rei gerendæ ſo-
» cium, ſed ſigniferum, authorem, principem.
» Omnibus deniq; conſilijs non interfuturum
» ſolùm, verumetiam perpetuò præfuturum.

His illi deſpicatiſsimi viri, ac omniũ qui vnquam poſt homines natos exſtiterunt turpiſſimi, vocibus accenſi: cùm vndique circumfuſi & gratulabundi ſuccłamaſſent, repentè velut agmine facto in agrum quẽdam Ketti

villulæ

villulæ VVyndamiæ continentem & adiũctum, omnis multitudo ſeſe effudit, ibiq́ue (ſicut conſtituerãt) foſsis terram obducunt. Quod cùm feciſſent tanq̃ effrænes equi, ad eam quam opinionis errore ſibi confinxerãt viuendi licentiam adhinnientes, partim audacia ipſimet ſua, & hoc inani rerum ſucceſſu confiſi, partim Ducis adhortationibus, & clamoribus, tãquam facibus ardentibus inflammati, incredibile dictu eſt, quantis iam furiarum flammis ad pacem perturbãdam, & ſtatum Reipublicæ labefactandam exarſerint.

Exindè Hetherſetum proficiſcũtur, (quod oppidulum nõ longè diſtat à VVyndamia) atque illic in agrum Flowerdui cuiuſdam impetum faciunt, foſſas complent, ſepta deturbãt, clauſtra refringunt. Ad hos tumultus magna lis & altercatio orta eſt, cùm Flowerduus dolore & iracundia grauiter excandeſcens, Kettum acriùs increpaſſet, illiq́; crimini daret, vtpotè qui hanc plebem indomitam & rebellem conciuiſſet: ſubindè eum nefarium

virum, patriæ peſtem, & fugitiuorũ ducem appellans. Atq; ab hoc quidem Flowerduo (quoad licuit) illorũ ſceleri occurſum eſt, retardatiq; conatus: factumq; quantũ potuit à fide inermi fieri, cõtra perfidiam inſtructam & armatam. Quibus illi dictis factiſq; vehementiùs accenſi, cũ Ketto vociferabundi circumfuſi, clamoribus, querelis, ac mutuis adhortationibus omnia compleſſent, tãdem ab illo auxilij fidem (qua ſe recens deuinxerat) implorant, & expoſcunt. Ille vt qui omnem ſpẽ futuri ſceleris, in maleficij præſentis euẽtu defixiſſet, non amplius ſibi cunctandum ratus, bono vt ſint animo hortatur, ſeq; libertatis authorem ac vindicem ſequantur. Quæ eſſet illi à Repub. impoſita perſona non excidiſſe, ſaluti illorum nihil priùs, nihil antiquiùs ſibi fore, vtpotè pro qua opes ac vitam (res ſecundùm illos chariſsimas) alacri mẽte profuſurus ſit.

Fama iſtius flagitioſiſsimæ vocis vndiq; omnes ſceleratos ac perditos viros conciuit, adeò

adeò vt repẽtè magni ſeruorum ac fugitiuorum greges, in Kettiana caſtra confluxerint. Quibus ille ſcelerũ ſatellitibus, atque adminiſtris ſtipatus, cùm tã Hetherſeti, q̃ VVyndhamiæ impreſſa flagitiorum ſuorum veſtigia reliquiſſet, atq; omnibus penè locis quacunq; incederet, vaſtitatem intuliſſet, decimo die Iulij ad locum Etonenſi ſyluæ vicinũ peruenerunt. Huic ſyluæ continentes & adiuncti ſunt agri cõpaſcui ciuitatis Norwicẽſis, quos multorum inopũ ac pauperum boues depaſcuntur, illiſq; publicitùs cuſtos pręficitur, cui vnaquaq; hebdomada ſinguli, ſingulos obolos dependere conſueuerunt. Ad hos agros quod illis viua ſepes & foſſa prętẽderetur, ne pecora palantes vſpiam dilaberentur, ex infima plebe Norwicenſi quidam, pridiè quàm rebelles vrbem verſùs iter fecerunt, pręcipiti rabie & amẽtia diſtricti cõuolauerũt. Publica ea paſcua eſſe (ſicut erant) vociferantes, nec ſe ampliùs publica paſſuros ſcrobibus obuallari aut ſepibus pręmuniri. Adeò cœco impetu à

mente

mente & ratione auersi ferebantur, vt quæ maiorum prouida ac sagax industria in communem vtilitatem sepsisset, ea suis manibus ipsi rescindere conarentur. Vix dum in superiori parte agri scrobem demoliti sunt, cùm permulti nefarij ac pestilentes viri, quorũ auribus rumor auram aliquam istius pernitiosissimæ conspirationis afflauisset, ẽ ciuitate clã dilapsi, cum Kettianis militibus sese coniungunt. Qui id vt facerent, eò citiùs adducebãtur, quòd proditores isti nequissimi impurissimo sceleri suo, salutem semper Reipub. necnõ cõmunis vtilitatis curã prętexuissent.

Harum rerum nuntijs in ciuitatem celeriter perlatis, Prætor (Thomas Coddus is dicebatur) re noua trepidus, protinùs huic malo prospiciendũ sibi putauit, elaborandumq; vt hij tumultus (si qua ratione confieri posset) primo quoq; tempore comprimerentur. Quam ob rem ex primoribus vrbis aliquot, ac patribus accitis, (Aldermanni ij dicuntur, & semper Prætori in concilio adsunt) ad hos

motus

motus ſedandos in Kettiana caſtra contẽdit. Ibi illos omnia nefanda patrantes inuenit, atque in luxum & epulas effuſos. Ac primùm pecunia ac blandis pollicitationibus illos pellexit, vt incœpto deſiſterent,& domũ quiſq; ſuam decederet. Illi verò nihilominùs ſceleri inſtantes,quicquid erat vſpiam clauſi,aut muniti refringunt. Prætor cùm omnia fruſtrà tentaſſet,neq; prece,aut prętio quicquam profici vidiſſet,quo mentes proditorũ, à tanti ſceleris diritate, ad cogitationem pacis auerterentur: confeſtim in ciuitatem reuertitur. A cuius diſceſſu ſeditioſi rati id quod erat, quodq́; ex rumuſculis quorundam hominũ qui ad illos ex vrbe profugerant, ſubodorari cœperunt:ſi diutiùs diſtracti ac populabundi vagarentur, protinùs illorum conſilijs nullo negotio occurri,& obſiſti poſſe, huic rei pręuertendum exiſtimantes,tutiſsimum ad id ſibi viſum eſt, vt execrandæ ſuæ ſocietatis aſſeclæ vnũ in locum contraherentur. Vndè extemplò ad ſyluam Etonenſem perrexerunt,

quam cùm vndique oculis perluſtraſſent, & caſtris ponendis minùs idoneam ac commodam inueniſſent, publico conſenſu decretum eſt, vti illinc primo quoq; tẽpore Mouſholdiam proficiſcerentur, eumq; locum potiſsimùm deligerent, in quo ſcelerum ſuorum ſedes, ac rapinarum latibula conſtituerentur.

Proindè cùm hoc conſiliũ omnibus arriſiſſet, iamq; nox nec opinantibus interueniſſet, miſsi continuò ad Prętorem qui illi renuntiarent: Sibi eſſe in animo ſine vllo maleficio iter per ciuitatem facere, & propterea quòd via illa eſſet multò facilior & expeditior, rogare vti eius voluntate, id ſibi facere liceat. Prætor ad hæc: Inimico eſſe illos & hoſtili animo in Rempub. quapropter non daturũ ſe illis per ciuitatem itineris faciendi facultatem. Dein eos vt ſeditioſos, & omnia perturbare, ac cõfundere cupientes, aſperimis verbis perſtrinxit, & minantibus vocibus, ac ad terrorem vndiq; inſtructis, à tanti ſceleris immanitate deterret. Demiq; ſi furere pergant denuntiat

breui

breui futurum, vt tam perditos conatus, horribiles exitus consequantur. Tantũ verò abfuit vt ad hanc orationem illorũ furor deferbuerit, vt multò quã venerint obstinatiores, & in proditionis proposito obfirmatiores, à Prætore recesserint. Cæterùm Kettiani hac spe conatuque depulsi, noctem illam totam in Etonensi sylua delituerunt.

Intereà Prætor primoribus vrbis in cõciliũ conuocatis, quamprimùm ad illos de Repub. refert. Ibi diu multumq; deliberatũ fuit, veluti ab his quorum animi in ancipites sententias distraherentur. Nonnulli censent celeritate opus esse, protinùs, ac sine mora profligãdos: desperatione ac rabie furentes si non primo quoq; tempore reprimerentur, toti Prouinciæ exitium ac pestem illaturos. Alij contrà sentiunt, rem esse maximi discriminis, deliberationis verò ac consilij summi. Hanc resistendi celeritatem, vt forti ac magno animo profectam, sic lubricã & præcipitem videri, nẽpè cuius omnis laus in euentu defixa foret.

Eum autem vt ſemper ancipites, ſic plerũq́ue miſerabiles exitus ſortiri. Proin ſuadere ſe, vrbem vti muniant, cuſtodias, vigiliaſq́; intẽtiùs inſtruant, oppidanos per muros, vrbiſq́; opportuna loca diſponant. De cætero quoniam lege DE VI ET ARMATIS HOMINIBVS, cautũ eſt, ne quę copię iniuſſu Regis contrahantur, nihil tentãdum, ſed eius voluntatem authoritatemq́ue expectandam arbitrari. Facilè huic ſententiæ inclinant omnium animi, vt quę è re nata optima viſa ſit, & ad quemuis fortunæ impetum tutiſsima. Miſsiq́ue extemplò, qui maximis itineribus ad Regiam contenderent, ijs datæ literæ, in quibus omnia diligentiſsimè perſcripta ſunt: iuſsiq́ue, vti feſtinatione quanta adhiberi poſſet maxima, ad Regios Conſiliarios perferrentur.

Poſtridiè eius diei, (vndecimus is erat Iulij) coniurati, cùm vt per vrbem iter illis facere liceret, à Prætore impetrari nõ poſſet, omni ſpe præciſa protinùs (id quod optimum fa-

ctu

ctu videbatur) Pontem Heileſdonium tranſ-
ire decreuerunt. Quod cùm commodè fieri
nõ poſſet per pontis anguſtiam, quæ iter prę-
bebat perarduum ac difficile, & iumentis ac
vehiculis tranſducendis impeditiſsimũ, ma-
gnam vim lignorum in flumen conijciunt,
atque ita faſciculis & arborum truncis con-
geſtis, viros, equoſq;, atq; impedimenta om-
nia, trans amnem conuexêre. Hunc in modũ
fluuium tranſgreſsi, inſequenti nocte Dray-
toniæ conſederunt: proximo die Mouſhol-
diam versùs cõtendunt, ſeptis ac ſepibus vn-
diq; reuulſis. Quinetiam Sacellum Corbetti
cuiuſdam diruerunt, omnibuſque locis ſtra-
gem ac ruinam miſerabilem intulerunt.

In hunc perditiſsimũ ſceleratiſsimorũ ho-
minum gregem, omnia delentem ac vaſtan-
tem, & quacunque inſiſterent præcipiti rabie
ac furore ruentem, fortè fortuna dum ſpecu-
landi cauſa qua venerant incautiùs progre-
derẽtur, inciderunt Rogerus VVoodhoſius,
vir ordinis equeſtris, & Apelyardij fratres:

hos comprehendunt, ſecumque inuitos trahunt. Exin collem D. Leonardi vrbi Norwicenſi ex aduerſum cœpêre: quo in loco Comes Surreius, præclaram exædificauerat & plenam dignitatis domum, cui infrà flumen publicum præterlabitur (quod medium inter ciuitatem & collem interfluit) habetque ex occidente & meridie ſyluam ac villulam Thorpenſem, ex oriente verò ac ſeptentrione cõpaſcua Mouſholdica, quæ amplius millia paſſuum ſex in longitùdinem ac latitudinem protenduntur. Hic illi furorum cubilia, ac quaſi caſtra locarunt: & in ſyluoſis illis latibulis canum inſtar deliteſcentes, omnia iura diuina & humana polluerunt. Quinetiam domum illam magnificentiſsimam homines impuriſsimi inuaſerunt, atq; omnibus in locis ſcelerum ſuorum impreſſa veſtigia reliquerunt.

Iam verò quicquid vſpiam eſt infimæ & abiectæ plebis confluxit: omniſq; fex & ſentina populi Norfolcienſis in hæc ſe caſtra refudit.

fudit. Prætereà magna multitudo Suffolciensium, & hominum etiam in alijs locis, atque regionibus degentium, campanarum tinnitu, & incendio ſpecularum excîta, congregatur. Addunt etiam ſceleri ſcelus: Nam immanem hanc tantam nequitiam, & inauditam omnia delẽdi libidinem, ſpecie fictæ ac ſimulatæ ſanctitatis adumbrant. Sacerdotem adhibent: hunc rebus diuinis, ac votis quotidiè manè ac veſperi ſuſcipiendis pręficiũt. Inſuper viros optimos, & quà religionis ac doctrinæ, quà virtutis ac innocẽtiæ laudibus inſignes, ad horum ſcelerum ſocietatem adiũgere conantur. Inter quos fuerunt Robertus VVatſonus concionator, Thomas Coddus Prætor ciuitatis, & Thomas Alderichius de Aula Mangrenẽſi, vir quoad vixit omnibus charus atq; iucũdus. Hos tres quòd ſe tã nefaria pactione, & perfidię fœdere deuincire recuſaſſẽt, inuitiſsimos coêgerũt omnibus intereſſe cõſilijs, & vnà cũ Ketto ſeditionis architecto, cũctarũ rerũ adminiſtrationẽ ſuſcipere.

Quod

Quod quidem accidit percommodè, nam si quando contigisset, (contigit autem sæpissimè) Kettum, aut ex conspirationis principibus aliquem (vt erant proni nimis ac præcipites ad omne flagitium) consilio furibundæ ac vesanę multitudinis incitatum, aliquid sceleris ac nequitiæ machinari, quod tãdem aut vrbem, aut agros, & regionem vrbi vicinam afflixisset, horum perprudens & solers industria, istiusmodi pestiferos conatus sæpenumerò repressit.

Quanquam Kettus ardens scelere, & agrestibus suorum instinctus furijs, solebat interdum mandatorum velut ex authoritate perscriptorum formulas emittere: quæ KETTIANA DIPLOMATA dicebantur: ad quæ nonnunquam intemperantissimus helluo, honestissimorum virorum nominibus abutebatur. Horum diplomatũ exemplum subiunximus.

Nos Regis amici ac Delegati: *pecoris & cuiusuis generis commeatus conquirendi, necnon*

in

in castra Mousholdica deferendi potestatem, omnibus concedimus, quocunque in loco deprehenderint, dummodò ne qua vis aut iniuria honesto ac pauperi cuipiam inferatur. Cunctis ex imperio denuntiantes, prout honori ac Maiestati Regiæ, Reiq; publicæ afflictæ, prouisum & cõsultum volunt, nobis Delegatis, *& his quorũ nomina subsequuntur dicto audientes esse.*

ROBERTVS KETTVS.

Et tum ordine longo alij consequebantur: namque Delegatorum numerus erat ingens, quippè qui præter illos huius nefandæ societatis principes ex omnibus centurijs duos sibi viros asciuissent. Erant autem cẽturiæ viginti sex. Atque his & huiuscemodi diplomatibus permulti nobiles & optimi viri, quos vulgi furor ac rabies reos fecisset, comprehendebãtur: multi ac si fontes essent Mousholdiã perducti, atq; illic in custodiam ac carcerem cõclusi. Prætereà valli ac sepimenta quibus agri publici circumscripti ac muniti erant, talium

di plomatum auctoritate reuellebantur, multiſque è locis multi citabantur, vt horum tumultuum ſocij ac participes exfiſterent. Atq; hæc omnia fiebãt his tribus, Prætore, VVatſono, & Alderichio, non tacentibus ſolùm & conniuẽtibus, verumetiã ad ſpeciem interdũ conſentientibus. Tempeſtati identidem obſequi coactis, quò patriæ tum fluitanti in alto, procellis ſeditionum atq; diſcordiarum ſubuenirent. Ne ſi nequicquam obſiſtendo aduerſum infeſtũq; vulgus conciuiſſent: & ipſimet ſibi præſens exitiũ, & patrię lamẽtabilem conflaſſent interitũ. Quę proculdubiò ſi tum palàm reclamaſſent, (tanta fuit rabies, adeoq; effrænis) rapinis, incendijs, atq; omnibus publicis exitijs perculſa concidiſſet.

Intereà ciuitas Norwicenſis de hoc rerum ſtatu ſollicita, & tantis de tumultibus anxia & ſuſpenſa, incerta ſpe, & diuturna expectatione pendebat. Neq; adhuc à Regia Maieſtate quicquam allatum fuit, nec quid illius Conſiliarij fieri decreuiſſent intellectum: &

ciues

ciues horum iniussu nihil audẽdum rati, imperium Regis exspectantes in vrbe manebãt.

Accidit autem eãdem tẽpestate, vt multis in locis multi obscuri & ignobiles viri in armis essent, tanquã communi sceleris consensione deuincti, ad Rempub. dilacerandam conspirassent. Etenim quãuis agrestiũ furor multò magis ac atrociùs in prouincia Norfolciensi, quã alibi vspiã exarserat, tamen & eadem fatalis cuncta perturbãdi lues per omnes penè regni partes diffusa, nõ Norfolcienses duntaxat, verumetiam Buchingamienses, Oxonienses, Surreienses, Estsaxones, Cantianos, Cantebrigienses, multosq; insuper mortales ijsdem tumultibus implicuit. Vndè adeò factũ est, vt cùm omnis consiliariorũ cura & cogitatio in his tantis seditionũ flãmis exstinguẽdis consumeretur, (ne si incẽdio protinùs nõ subuenissẽt tota Respub. deflagrasset,) tardiùs aliquantulũ quã cupiebant ad hos Norfolcienses motus reprimendos accesserint.

Gliscit interim seditio, nec remittit ali-

quid, ſed indies ingraueſcit, ita vt ſexdecim pænè millia ſordidiſsimorum hominum in Kettiana caſtra cõuenerint. Atq; hi quidem Ketto duce omni ſe præſidio munire cœpêrunt. Multiſque è locis bellicos apparatus ac inſtrumenta in caſtra conuexêrunt. Inſuper magnam vim pulueris bombardici, & tormentorum cuiuſuis generis numerum ingẽtem. Ad quæ diripienda huc & illuc paſsim diſcurrentes, multorũ nobilium domos peruagati, eoſque depeculantes, quicquid pecoris in agris, aut pecunię in ædibus, aut frumẽti in horreis reperire poſſent, impiè nefarieq; auferentes, (inſpectantibus etiam dominis) in caſtra deportarunt. Atqui quamplurimi, cùm hũc in modum cuncta vaſtaſſent, compilaſſent, exinaniſſent, ac miſerabilem vbiq; veſtigia poſuiſſent, rerum omnium ſtragem ædidiſſent, maxima prædæ parte auerſa & clãculùm in ſpeluncas retruſa, furtim quiſque ſibi, quantũ rapinarum in latibulis coaceruari potuit, congeſſerunt. Re comperta,

&

& ad Kettum & cæteros GVBERNATORES, (ſic enim dici volebant) delata, huic incõmodo primo quoquo tempore mederi cupientes, communi cõſenſu decretum, locum aliquem deligendum, in quo Iudicia exercerẽtur. Quercus erat annoſa, & patulis diffuſa ramis, hãc tignis atq; trabibus trãſuerſim iniectis contabulauerunt: ibiq; pleruńq; circũfuſa plebe conſiſtentes, de querelis & litibus (ſi quæ fortè cuiq̃ intenderẽtur) prout viſum eſt, ſtatuunt atq; decernunt: & nõnullorum interdum ſolutã nimis ac efferueſcentem omnia rapiendi cupiditatem arctioribus vinculis cõſtringũt. Hanc QVERCVM REFORMATORIAM nuncuparunt, in quam initio aditus nulli dabatur, prę-terquam Ketto, & Gubernatoribus. Ex quibus nonnulli, & inter hos Prætor ciuitatis vt qui maximè, & Alderichius, & alij quos anteà diximus inuitiſsimos talem in numerum aſcriptos, omnibus modis quantum in ſe fuit vehementer cõtenderunt, vt plebeculam in-

 fimam

simam & ieiunam ab hac tã importuna prædandi licentia coercerent. Quem in finem idẽtidem Quercu conſcenſa, orationis grauitate perpulerunt, vt aliquem interdum, ſi non exitum, at ſaltem modum, tantis rapinis, ac tã effuſæ in omni intemperantia violentiæ conſtituerent. Fuerunt item & alij grauiſsimi viri, & Theologi præſtantiſsimi, qui omni opera, ſtudio, ac diligẽtia cõnixi ſunt, plebem tumultuantem, & (legum iam vinculis laxatã) in omne ſe ſcelus ingurgitantem, à rapinis & incendijs quibus omnia miſcuerant, ad pacis cogitationem traducere. Atque hij quidem de die in templis concionando, de nocte verò armati intrà ciuitatem excubando, nihil prætermiſerunt, quod eſſet aut cum officio ſanctiſsimorum Theologorum, aut cõſtantiſsimorum ſubditorũ fide coniunctum. Inſignis tũ inter cæteros Doctoris MATTHÆI PARKERI prudentia, fides, & integritas fuit. Vir venerabilis, ac omni ſemper virtutis decore circumfluens. Ac tum quidem

quidem professor sacræ Theologiæ fuit, hodiè verò (tempore illustrissimæ Reginæ Elizabethæ) Cantuariẽsis sedis Archiepiscopus amplissimus. Huic cùm esset in animo boni pastoris officio ac munere defungi, videretque omnia furorum ac flagitiorum flammis circunfusa, fecit id quod & prudẽtem decuit, & constantem oportuit. Nam & in sceleribus redarguendis fortem se præbuit & magnanimum, & in periculis cautè deuitandis, sagacem & industrium. Vndè & Deo, & regi præstitit quã debuit fidem: & sibimetipsi diligenter consulendo, adhibuit eam, quæ à sapiente imprimis requiritur, prudentiam.

Euenit autem vt cùm die quodam, vnà cũ amicis quibusdam in Kettiana castra cõtenderet, Kettum & alios eius societatis affines, in Quercu stantes, & inter se de rebus varijs differentes inuenerit. Quo quidem tempore Prætoris Coddi egregia virtus enituit, audiebaturq; vox illius magnifica planè & viro forti dignissima.

Nam

Nam cùm Kettus ſcelerum ſignifer illi cupidius inſtaret, vt traditis clauibus, omniq́ue poteſtate ſibi permiſſa, ſemetipſum Prætura abdicaret: enimuerò Coddus ferociter reſpondiſſe dicitur, animam ſe potiùs daturum & ipſam è corpore vitam, quàm aut per ſcelus ciuitatem perfidioſiſsimè deſereret, aut fidem ergà Regem per metum & ignauiam flagitioſiſsimè abijceret.

His vltrò citroque iactatis, inclinato iam in veſperum die, Matthæus videns miſerã plebem vndique potu luxuq́; demerſam, ad temulentos & ebrios, quà cibo potuq́; onuſtos, quà cœli ſoliſq́; ardore cõfectos, parùm profecturam orationem ſanã ac ſobriam exiſtimans, eo die nihil ſibi dicendum putauit. Quamobrem cuncta furorum ac tumultuũ plena relinquens, in ciuitatem regreſſus, poſtridiè manè (dies is erat Veneris) cum fratre Thoma Parkero (qui poſteà Norwici Prætor fuit) in Kettiana caſtra reuertitur. Exin (mirabile dictu) omnes ſub quercu orationi

ac

ac precibus intentos inuenit, mediumq; inter illos Letaniam dicentem Thomam quẽdam templi D. Martini vicarium. Matthæus oblatam iam ſibi dicendi facultatem conſpicatus, Quercum conſcendit, ibique concionem habuit, prudentiæ, grauitatis ac modeſtiæ pleniſsimam. Erat autem omnis illa oratio in tres potiſsimùm diſtributa partes, quarum prima ſapienter eos admonuit ne ijs quę ſui ſuſtentandi cauſa in caſtra comportaſſent, diſsipatis atq; conſumptis, mundi fructus ac munera diuinitùs conceſſa, per luxum ac nequitiam impuriſsimè profunderent. Tum ne priuatas & occultas inimicitias perſequentes, iracundia aut vlciſcendi libidine intemperãtiùs elati, manus cruore ciuili reſpergerent: nêue illos quos inſtar hoſtium haberent, cuſtodia aut vinculis coërcerent: vitámue cuipiam nefariè aut crudeliter adimerẽt. Extremum fuit, vti communi vtilitati conſulentes, incœpto deſiſterent, nec fecialibus aut internuntijs regijs fidem detraherent, ſed debitum

Regiæ Maieſtati honorem, etiam in teñera & imbecilla ætate deferrent, quò ipſi poſteà floreſcentibus annis firmata iam virtutis ſtirpe, & altis tanquam radicibus defixa, incredibili cùm voluptate, tum lætitia perfruerentur.

Hoc in loco cùm omnes dicendi neruos contendiſſet, cunctiſque concionanti benignè attenteq; audientes circumfunderentur, clamore cuiuſdam ſceleratiſsimi ac infimi hominis obſtrepi cœptum eſt. Quouſque (inquit) hunc mercenarium doctorem perferemus? qui à generoſis prætio conductus huc acceſsit, vocem adferens venalem, & linguã mercede conſtrictam. At nos illorum intolerandæ potentiæ frænos inijciemus, illoſque tergiuerſantes & inuitos, legum noſtrarum laqueis implicatos tenebimus.

Tum verò fremere plebs, ac apertè indignari cœpit: multiſque dicto huius furibundi ac veſani hominis incitati, aſperrimis eum verbis & minantibus inſectantur. Auditæq;

voces

voces nonnullorũ horribiles & infeſtæ, quæ etiam aures ipſius Matthæi perculerunt. Ac ex ijs quidam ferociter inclamarunt: Optimum eſſe vt quoniam tam bellè locutus eſſet tamque lepidis & verbis & ſententijs orationem conſperſiſſet ſuam, telis ſagittiſque confixus, deſcendere cogeretur. Enimuerò tum viro optimo pauor iniectus, & ad hunc pauorem, inſuper alterius mali ſuſpecti & occulti terror adiunctus. Senſerat enim ſub pedibus haſtarum cuſpides ac ſpicula, magnoque in timore fuit, ne ab irata multitudine tranſfigeretur. Poſteà tamen nullam ab his tanti timoris cauſam exſtitiſſe intellectum, quippè pænè omnes qui ſub arbore conſtiterunt, Matthæum ſummo in honore habebant, eumque omni amore & beneuolentia complexi, aduentu illius mirificè lætabantur. Sperabant enim fore, vt illius oratione impulſa ac manſuefacta plebs, aut languidior ad ſcelus & nequitiam facta penitùs reſipiſceret, aut ſaltem

aliquid de tanti furoris atrocitate remitteret: atque ita illi (qui omnes aderant inuitissimi) maiorem libertatem nanscisceretur. Vtcunq; fuit, ingens tum eum horror perstrinxit, magnoque in periculo constitutus videbatur, cui ecce tibi de repente Thomas ilie (quo de ante diximus) templi D. Martini Vicarius, ascitis tribus aut quatuor Æditimis, *Te Deum* Anglico sermone musa solenni, & modorum interuallis, ad aurium voluptatem elegater distinctis, cocinere cœpit. Cuius illi cantus suauitate perfusi, (Musicæ enim insolentes erat) crudeles & efferæ mentes insueta delectatione delinitæ, paulatim deferbuerunt.

Matthæus hanc oportunitatem nactus, no exspectadum sibi putauit, dum aut hij canere desijssent, aut illi furere de integro cœpissent, atque ideo de Quercu descendens, cum fratre qua dabatur exitus castris excesit. Euntibus illis per collem D. Leonardi ad portas Pockthorpenses, denuo inferunt se & alij eius societatis assecłæ, tumultuosissimis eum clamo-

clamoribus insectantes. Qui quidem multis de rebus secum expostulantes contenderunt, maximè verò de magno Sigillo quo concionandi potestas fuit illi permissa. Videns itaq; Matthæus omnes contactos hoc scelere, velut inecta rabie ruentes, tantorum tumultuum pertæsus, ac patriæ malis ingemiscens, clàm quà potuit elapsus, fratrem Thomam Parkerum post se reliquit, qui cum illis de rebus omnibus disceptaret: atq; ita sese illorum furori subtraxit. Postridiè eius diei ædem D. Clementis ingressus, è lectionum altera (quę tum publicè in templo legebantur) denuò causam arripuit, ad dicendum aliquid de hijs pernitiosissimis tumultibus, multis coniuratorum circumuolitantibus. Ac tum quidem nihil dixerũt, sed exitum illius de templo exspectantes indignabundi circumsistũt. Egressum protinùs insecuti, intelligere se aiunt illũ tres vel quatuor cantharos habere expeditos & habiles, qui Regi deseruiant, monent vt statim à prandio præstò sint, se illis confestim

vſuros. Matthæus aut nihil, aut pauca ſanè reſpondit, ſed Hyppatro celeriter accito, iuſſit vt alijs detractis ſoleis, vngulæ ad viuum reſecarentur, alios verò calcantho viridi ſuperinfuſo obliniri, medicamentis delibutos, ac ſi nimio labore & curſu fatigati conficerẽtur. Seditioſi ita rem habere ſuſpicati, ac poſteà illos dum veluti paſtûm ducerentur, hos pedibus faſcijs deuinctos, illos calcantho perfuſos cernentes, conquieuerunt. Matthæus non ita multò poſt veluti deambulandi cauſa portis egreſſus, ad duo millia paſſuum â ciuitate, præſtò ſibi ad pontem Crynklefordenſem equos inuenit. Quibus conſcenſis, Cantebrigiam verſùs contendit. In itinere verò quæ viderit, quæque audierit, quoſque tumultuantium (quibus in via occurſum eſt) furias ac ſcelera conſpexerit, ſingula perſequi laboris eſſet propemodùm infiniti. Veruntamen Dei benignitate omni hoc motu & populari concitatione defunctus, tanti tãdem periculi ſecurus, Cantebrigiam incolumis

lumis peruenit.

Huius igitur ampliſsimi viri veluti diuinitùs demiſſa vox & oratio, ad hũc modum ab hominibus deſpicatiſsimis, & ab omni non ſolùm ſalute, verumetiam ſpe derelictis, nequiter neglecta, & contempta fuit. Quam etſi tum furore & amentia cœci & prȩcipites, velut exitialem, ac tantis ac tam perditis vitæ rationibus inimicam & infeſtam aſpernati ſint & reſpuerint: poſteà tamen proculdubiò ex calamitoſiſsimis caſibus qui conſecuti ſunt, diuinæ vindictæ horror omnium mentes perfudit. Nam cùm (vt anteà diximus) huius cœleſtis orationis caput exſtitiſſet, vt tanto improbitatis velut incendio in animis reſtincto, protinùs reſipiſcerent, ne longiùs progreſſa proditionis impietas, patriæ propediem funeſta foret & horribilis, & ſibimetipſis ad extremum lugubris & exitioſa: enimuerò omnia quæ à voce illa perſapienti & verè diuina veluti fata populi Norfolciẽſis concinebantur, euenerunt: & ipſi à ſcelere ad

ſcelus

ſcelus delapſi, iuſtas tandem ac debitas tanto furori pœnas perſoluerunt.

Intereà verò ſeditioſi (quos anteà diximus nobilium bonis ac fortunis inhiantes, omnia furtorum ac rapinarum ſcelere refudiſſe) exſaturati iam ſpolijs, à prædādi libidine ad vim crudelitatemq́; conuerſi, per omnem regionem Norfolcienſem terrorem & periculum cunctis qui non ab illis ſtetiſſent denunciantes incedunt. Iamq́; nobilibus vndique quàquà verſùs flagitij ſe furor inclinaſſet cōprehenſis, ac in caſtra perductis, tantus omnibus horror illatus eſt, vt cuncti domibus ac patrijs ſedibus relictis, veſtitu mutato, ne fortè in itinere ac fuga cōſpecti cognoſcerentur, in loca deuia demigrarint: & omnia ab illis extrema metuentes, in ſpeluncarum latibula, ac ſyluas denſiſsimas ſeſe abſtruſerint. Multi etiam coacti ſunt carris equiſq́; ſi haberēt, ſuis vti, ſi non haberent, aliundè cōquirere. Hiſq́; imperatum, vt laborem & ſumptum de ſuo impendentes, frumentum commeatumque

in

in caſtra Mouſholdica deueherent. Quibus quidem (niſi protinùs parüiſſent) ab agris & ædibus vaſtitas, à liberis & vxoribus vis denuntiata eſt. Prætereà quoſcunque nobiles ac generoſos comprehendiſſent, (comprehenderant autem quàmplurimos) eos arctiſsimis vinculis aſtringunt, ac ſi ſemetipſis in omni ſcelere nequiores exſtitiſſent. Multiq; Norwicum in cuſtodiam traditi, atq; ex his nonnulli in Prætorium, (vulgò Aulam Gildenſem appellant) alij in carcerem publicum, quidam in ædes Comitis Surræi, inſtar furũ concluſi. Huc accedit quòd ſi quando rei pecuniarię inopia premerentur, (premebantur autem ſæpiſsimè) ex publico ærario ſemper huic difficultati ſubueniendę neceſsitas, Prętori crudeliter impoſita fuit. Quorum importuniſsimis efflagitationibus ſi tum Prętor reſtitiſſet, enimuerò ærario exhauſto & incenſo, omnium fortunis miſeranda lues, & pernicies acceſsiſſet. Et quidem ſæpenumerò eius compilandi nefaria ab iſtis conſilia inita

sunt,remque sine dubio transegissent, si non Prætoris sedulitate ac diligentia, semper hac de spe conatuque depulsi fuissent. Nihilominùs tormẽta multa & apparatus bellici quicquid comparari potuit, (metuentes videlicet ne quando quid aduersi contingeret) è ciuitate in castra transtulerunt. Cunctisque ciuibus indictum vt primo quoq; tempore præstò sint, qui se (si opus sit) tueantur atque de-
« fendant. Regios se amicos vociferantes, &
« iniurijs diuexatos, legum ac Maiestatis Re-
« giæ tutelam defensionemque suscepisse. Nec hoc contenti, Regis etiam nomine ad scelus & nequitiam abusi sunt. Diplomata quędam erant Regia, in quibus quorundam Nobilium nomina perscribebantur, hijsque potestas delata fuit à Rege, iussiq; labẽti Reipub. prospicere, videreq; vti hij motus primo quoquo tempore compescerentur. Hæc nacti, nobiliũ nominibus deletis atq; inductis, sua nomina inscribi fecerunt, Regijsque sigillis auulsis, & ad sua commentitia diplomata affixis, ijsq; in publico

publico propoſitis, plebem imperitam, tantæque fraudis inſciam deceperunt.

Iamq; eò ſceleris ac dementiæ deuenerunt, vt nec à Gubernatoribus, nec à Ketto quidem ipſo, ſeditionis Architecto & principe, tanti tumultus furor ac impetus retardari potuerit. Prætereà non ſolùm ij qui tantorum ſcelerum ſocietatem cum illis coire recuſaſſent, hoſtes iudicati, ſed & multi boni ciues qui cum liberis & vxoribus conſeruandi ſui cauſa, ex vrbe profugiſſent hoſtium loco habiti. Qui quidem tanti periculi terrore tectis expulſi, cùm nullo loco diutiùs conſiſtere auderent, per multitudinis efferatæ vim ac rabiem, diſperſi, diſſipatique huc & illuc vagabantur. Multiſque lamentationibus ac lachrymis illorum temporum iniquitatem deflentes, conditionem patriæ miſerrimam deploraverunt. Vrbi etiam incendium atque deflagrationem minitabantur, adeò vt ij qui in ciuitate remanſerant, nihil aliud niſi

rerum omnium labem atque ruinam exſpectauerint. Caſtrorum verò horribilis ac miſerãda facies. Nam cùm in illa magna multitudo vndique ex Anglia perditorum hominum latronumq; conueniſſet, quos ſpes prædandi, otijque cupido ab agricultura quotidianoque labore auocauiſſet, tanta fuerunt flagitiorũ monſtra quæ conceperunt, tantęq; in omni genere nequitiæ ac libidines, vt eas quodãmodò horreat ac reformidet oratio.

Illud certè conſtat, ſicut omnium agris ac ædibus vndiq; vaſtitatem & ſolitudinem infandam intulerunt, ſic quęcunq; in caſtra deuecta ſunt, luſtris & helluationibus nequiſſimis celeriter conſumſerunt. Adeò vt incredibile penè videatur, ac portenti ſimile, quonam modo illa, tã multa, tam exiguo tẽporis ſpatio deuorauerint. Nam præter cygnorũ, anſerum, gallinarum, anatum, & volucrum cuiuſuis generis numerum infinitum, ad tria millia boum & ouium viginti diebus paucis in caſtris luxurioſiſsimè abſumta ſunt.

Inſuper

Insuper viuariorum vallis ac sepimentis (in quibus bestiolæ delectationis causa concluduntur) perruptis atque refractis: quicquid vspiam damarum conspici aut comprehendi potuit, crudelissimè confecerunt. Nihil erat clausum libidini, nō ratio futuri temporis adhibita, non ijs quæ posteà acciderunt malis prouisum, nulli sceleribus ac nequitię termini defixi, sed miserandum in modum dissipata omnia & exhausta fuêre. Tantæque ouium passim cædes, reliquiq; pecoris trucidationes factæ dicuntur, vt veruex drachma publicè veni erit, capitibus atq; extis, velut escis contemtissimis fastiditis atque reiectis, propterea quòd nullus inuentus fuit, qui illis in tanta delicatioris cibi copia vesceretur. Quid hic nemorum vastationes, ac syluarum strages commemorem? quibus radicitùs penè exstirpatis atque defectis, omnem eam materiam quæ erat cæsa, aut incendunt, aut (quod multò fœdiùs fuit) in scelerum suorum sedibus ac latibulis exstruendis insumunt. Addi-

tur ad hanc tam atrocem licentiam, (talium plerumq́; factorũ ſemper comes) crudelitas. Hominibus honeſtiſsimis ac integerrimis, à fœdiſsimis belluis, omniq́; diritate teterrimis, catenæ iniectæ ſunt, multiſq́; manicæ cõpedeſque impactæ, quibus bini pariter reuincti, acerbiſsimum illum quaſi carceris cruciatum ac carnificinam diutiſsimè pertulerunt.

Cuſtodes etiam ad omnes portas & vrbis introitus diſpoſiti, ne qui fortè elaberentur, iuſsiq́; vicorũ ſubmagiſtri vti viderẽt ne quis vrbe excederet. Magniq́; agreſtium ac ruſticanorũ hominum greges coacti, quibus præſtitutum vt certis in locis vigilias & excubias agerent. Ijs à vicorum ſubmagiſtris (vulgò Conſtabularij dicuntur) omnia ad libidinem & luxum ſuppeditabantur, adeò vt tantis, ac tam profuſis ſumtibus multi honeſti viri, re familiari valdè comminuti, funditùs conciderint. Odium autem quod incluſum in animo, in omnes conceperunt, id crudeliſsimè in eos quos cõprehenderant, expromſerunt.

VVharto-

VVhartonus erat quidam, (magno vir præditus animo, sed minimè populari:) hunc dum in Ciuitatẽ ad carcerem & vincula duceretur, ingens seditiosorum caterua circumsepsit atq; muniuit, destinata videlicet quæ ei præsidio foret, ne fortè in itinere à vesana multitudine violaretur. Sed nec VVhartonum sua probitas & fides, nec seditiosorum diligẽs custodia satis tutata est, parumq; abfuit quin interficeretur, multique mortem illi & interitum intentarunt, corpusque illius plurimis in locis hastilibus & spiculorum cuspidibus perstrinxerunt.

Accidit autem vt eodem penè tempore quo hæc fiebant, contendentibus illis ad vrbem, Moultonumq; quendam instar captiui trahentibus, (cuius odio deflagrarunt immani quòd esset vaferrimo semper, venaliquè vir ingenio (erat enim Ieguleius:) necnon sicuti opinio fuit diris votis, ac horrendis superstitionum portentis, inferorum manes elicere consuesset) dum itaq; (vti supra dictum est)

Moulto-

Moultonum hunc mulierculæ cuiuſdam indicio, in ſyluis paulò antè repertũ, atq; ex vepribus & dumetis, in quæ ſe melioris inops conſilij recens abſtruſerat extractum, omnibuſque oneratum probris & contumelijs ſecum pertrahunt, cœlum non ſine ingenti audientium ſtupore, horribili tonitru contremuit, maximique imbres grandine permiſti defluxerunt, terræque repens labefacta eſt, vtpotè quæ non longè à Quercu (quam Reformatoriam appellarunt) in immenſam altitudinem deſedit. Cæterùm tantum abfuit, vt ad hæc veluti diuina prodigia expaueſcerent, vt iam perindè ac ſi cœleſti voce incitarentur, ardentiores ad omne nefas, & multò quàm anteà fuerãt inflãmatiores exſtiterint.

Neq; porrò minori tempeſtate conflictatæ ſunt nobilium mentes, quos agreſtes ſæuitia inſigni, atq; feritate deteſtabili furentes, catênis iniquiſsimè conſtrinxerant: qui omnes aut mortem quotidiè pertimeſcebãt, aut ipſa morte diriora tormenta, & quæcunq; ab impuriſ-

puriſsimis latronibus cogitari potuerunt terrima. Etenim nonnulli ac ſi quid nefandi ſceleris admiſiſſent, in deſperatorum hominũ cœtum, tanquam ad iudicium vocati, ac prò Quercu conſtituti, veluti è vinculis cauſam dicere cogebantur. Cumque ab imperita & agreſti multitudine quæſitum fuiſſet, quid de illis fieri decreuiſſẽt: vno veluti ore ab omnibus cõclamatũ eſt, SVSPENDEANTVR, SVSPENDEANTVR. Denuò ſciſcitantibus illis, cur hac tam truci voce vterentur in ignotos præſertim, & nullius noxæ aut criminis conſcios, ferociter reſponſum eſt: vſurpari illam vocem ab alijs, & ideò ſe viciſsim eâdem vſuros. Neq; præterea quod dicerent habebant: quanquam alij hanc huius crudeliſsimi clamoris rationem adferebãt, Generoſos eos eſſe, & ideò de medio tollẽdos, ſcire enim ſe, quòd ſi quando illi victoria potirentur, omnes ſibi ſint cruciatus, acerbitateſque perferendæ. Proin pręſtare vt his quos iam in poteſtate haberent, vita priuatis,

uatis ipſi, ipſi demùm otio ac ſecuritate perfruantur, quam illis vſuràm vel vnius horulæ ad viuendum largiri, à quibus poſtmodũ veluti pecora trucidarẽtur. Adeò inuiſum iam nobilium nomen erat & exoſum, vt furore pęnè pluſquàm hoſtili flagrantes, infimę ſortis homines, non nobiles tantùm, ſed ipſam etiam (ſi fieri poſſet) Nobilitatis ſtirpem delere funditùs & exſcindere concupierint.

Hunc igitur in modum cùm omnis propè Regio Norfolcienſis huius funeſtiſsimi tumultus tempeſtate perculſa & afflicta fuiſſet, ac iam viginti ferè à primo dies elapſi interfluxiſſent, nihilque interim vbique fieret, niſi vaſtationes, incendia, rapinæ, omniaque non modò miſeranda viſu, verumetiam auditu horrenda: tantus omnibus bonis, ac præcipuè ciuitati Norwicenſi dolor inuſtus eſt, vt ad hunc patriæ tam lugubrem aſpectum aſsiduo pænè mœrore ac lachrymis contabuerint. Reſiſtere autem huic tantæ improbitati, per illam quæ

iam

iam vndique in caſtra conuenerat perditorum hominum multitudinem nequibant, & (quod caput erat) arma ſumere iniuſſu Regis, lege, vt antè diximus, prohibebantur. A cuius conſiliarijs quoniam nihil adhuc perlatum fuit, vrbi perniciem & deflagrationem quotidiè metuentes, abſciſſa propemodum omni ſalutis ſpe, omniſque conſilij inopes, intra muros permanſerunt.

Erat autem tum fortè Londini Leonardus quidam Sothertonus, ciuis Norfolcienſis, qui illinc velut è flamma, & communi incendio vitæ conſeruandę cauſa profugit. Hũc Regij Conſiliarij ad ſe accerſunt, & de illo omnia ſeditioſorum conſilia ſciſcitantur & exquirunt. Sothertonus quæ ſciret, enunciat: ingentem nefariorum colluuiem confluxiſſe, ab his omnibus locis calamitatẽ ac peſtem inferri, numerum indies augeri, nihil ſceleris fingi aut excogitari poſſe, quod non conceperint, homines optimos cõprehenſos,

« ac in vincula ductos, domos direptas, agros
« vastatos, syluas incensas & prostratas, pecus
« omne trucidatum, præ rabie ac furore nihil
« vspiam intactum inuiolatúmue relictum, sed
« populari petulantia cuncta confundi: vrbi
« etiam nisi celeriter cõsultum & prouisum sit
« interitum & ruinam impendere. Sperare se
« tamen, atq; etiam inaudisse, permultos esse in
« illis castris ac scelerum speluncis, qui propo-
« sita sibi apud Regem veniæ ac impunitatis
« spe, arma abiecturi sint, & Maiestatis Regiæ
« clementiam amplexuri. Obsecrare ergo, &
« vehementer ac demisissimè contendere, vt
« publico edicto Rex fidem astringat regiam,
« fore omnibus impunè, qui ab illis castris di-
« scesserint, posse ita facilimè hos cœtus disi-
« pari. Comprobato consilio, ex Regis autho-
« ritate & sententia statuunt atq; decernunt.
« Maiestati Regiæ placere, ægrotæ atq; affli-
« ctæ Reipublicæ, primo quoque tempore me-
« dicinam adhibere, quò à periculosissimis illis
« motibus, & seditionum malis, quibus eam
perfidiæ

perfidiæ peſtis inuoluiſſet expiata, conuale-»
ſceret. Verũtamen omnia experiri velle, pri-»
uſquàm id quod in illa contactum eſſet atque »
peſtiferum (ne reliquo corpori noceret) am-»
putaretur. Proin decreuiſſe: pœnas iamdiu »
improbitati, nequitiæ, ſceleri, ac libidini debi-»
tas tantiſper differri, ſpem ſalutis cunctis ſi in-»
cœpto abſiſterẽt, denuntiari, fidem Regiam »
interponi, omnem ſeueritatis metum præci-»
di, dummodò poſsint clementia & manſue-»
tudine ad pacem ſanitatemque perduci. His »
igitur hunc in modum deliberatis atque ſta-
tutis, hoc ſolummodò reſtabat, vt hæc Maie-
ſtatis Regiæ miſericors clementia plebi è ve-
ſtigio proponeretur. Fecialis ad id miſſus,
(qui eodem Leonardo Sothertono Comite
ad celeritatem adhibito) magnis itineribus
Norwicum contendit. Illinc in caſtra conti-
nuò progreſſi, caduceator propter Quer-
cum ſtans fecialibus indutus inſignibus, clara
voce ita vt omnes, qui vndique circumfun-
debantur, loquentem exaudierint. Audite »

« (inquit) audi tu scelerũ signifer Kette, & vos
« omnes quotquot adestis, audite.
« Etsi mos maiorum, & huius imperij digni-
« tas, & nominis Regij Maiestas postulare vi-
« deatur, vt vos qui nefaria in patriam arma
« sumsistis, & in apertam coniurationem ac
« latrocinium vosmetipsos coniecistis, hostium
« instar ferro igniq́ue profligati, debitas scele-
« rum quæ concepistis pœnas sustineatis: ta-
« men Maiestatis Regiæ tanta mansuetudo est
« atque clementia, vt quos ad pœnam & sup-
« plicium sceleris atrocitas deposcat, eos tamen
« pro singulari & incredibili benignitate con-
« seruatos velit & incolumes. Proin iubet vt
« protinùs omnes arma deponatis, castra hæc
« & furorum cubilia relinquatis, domum de-
« cedatis, errori si id feceritis veniam largiri, ac
« omnium quæ suscepistis flagitiorũ impuni-
« tatem. Sin autem in sentẽtia, & perfidię pro-
« posito permanseritis, se cuncta maleficia &
« scelera quæ patrastis, acerrimè, vt par est, ac
« omni supplicio vindicaturum, nec pas-

furum hæc quæ reſecanda ſunt & ſanari non »
poterunt, longiùs ad perniciem totius Regni »
dimanare. »

Hoc cùm magna (vt antè dictum eſt) voce promulgaſſet : ab omni pænè multitudine conclamatum eſt, REGIAM MAIESTATEM DEVS TVEATVR INCOLVMEM. Is clamor cùm idẽtidem redintegraretur, multi in genua prouoluti, hanc tantam & tam inauditam clementiam ac miſericordiam laudibus ac lachrymis proſecuti ſunt. Quam quidem omnes tum proculdubiò complexi fuiſſent, vtpotè quorum animi pudore ac metu ſenſim infringi, ac remolleſcere cœperunt, ſi non ſceleſtiſsimæ nonullorum voces, Kettíque adhortationes perfidioſiſsimæ, eos à pacis cogitatione auerſos, denuò ad ſceleris conſenſionem retraxiſſent. Ille aſperè ſanè & ferociter reſpondit.

Conſueſſe Reges flagitioſis hominibus nõ » innocentibus & integris veniam dilargiri. »

Nihil

« Nihil ſe meritum, nec vllius ſibi culpæ con-
« ſcium, proin eam vt inanem ac ſuis rationi-
« bus inutilem aſpernari. Exin conuerſus ad
« ſuos, rogat ne ſe deſerant, néue animo conci-
« dant, ſed meminerint quo ſe fœdere obſtrin-
« xerint: paratum ſe qui vitam (ſi opus ſit) pro
« eorum ſalute profunderet.

Hæc vbi rabidè iracundéque dixiſſet: Fecialis homini turpiſsimo, & tot perfidiæ notis inſigni, imminutæ Maieſtatis crimen infligit, eumque proditorem teterrimum, & ſummi ſceleris reum pronunciauit. Iuſsitque deindè Ioannem Petibonium Prætoris enſiferum, latroni profligatiſsimo actionem perduellionis intendere. Enimuerò tum tumultuari cœptum eſt, vtriſque hinc atq; illinc, nõ minùs pertinaci, quàm pernicioſo certamine contẽdentibus. Fecialis videns iterum labare plebis animos, (quos anteà pacis denũciatione nõnihil emolliuerat) & Ketti verbis velut furiarum ſtimulis inſtinctos, à ſalute quã priùs amplexuri videbantur, denuò ad ſcelus

, nequi-

nequitiamque deuolui, castris excesit. Multique eum nihilominùs mortales consecuti sunt, qui abiectis prioribus consilijs armisque depositis, Regis se fidei permiserunt. Hij omnes vnà cum Prætore & Thoma Alderichio in ciuitatem ingressi.

Prætor continuò portas obstrui iubet, præcipuè verò eam quæ Episcopalis seu Pontificia nuncupatur, quòd illàc è vestigio (nisi celeriter huic consilio obuiam itum fuisset) seditiosi in oppidum irrupturi viderentur. Ad hæc omnes generosi quos anteà diximus, à Kettianis in carcerem coniectos, leuati vinculis & è custodia emissi fuêre, adhibitique in concilium, quæsitumque ab illis quî potissimùm hostium impetus retardari possent: rationesq; initæ vrbis defendendæ, ne perditorum introitu ac militari licentia omnia diriperentur. Placuit ad extremum ciuitatem quaquá versùs muniri, portas murosq; asseruari, custodias vigiliasque disponi, itinera intercludi, quò commeatus supportandi facul-

tãte vndique inciſa atq; præcepta, coniuratorum animi cibariorum inopia,& bellandi tędio perculſi langueſcerent.

His de rebus, dum remotis arbitris multa inter ſe (vt fit) deliberabundi ac conſultantes egiſſent, trepidi à portis nuntij ſuperueniunt, rem atrocem incidiſſe prædicantes. Multos eſſe ciuium qui ſe horum ſcelerum communione cõſtrinxiſſent: ex his nonnullos è Kettianis militibus quamplurimos in vrbem intromiſiſſe. Cùm hoc tantum repẽtini periculi præter opinionem contigiſſet, & ſeditioſi in vrbem ingreſsi, cuncta protinùs direpturi viderentur, iſq; metus omnium animos perſtringeret, à primoribus vrbis facilè impetratũ eſt, vt generoſi denuò in carcerem cõcluderẽtur. Ne fortè cõſpectis ijs in ciuitate ſolutis,ac demptis, quę recens iniecta fuere vinculis, ſeditioſorum animi furoris & irarum pleni, ad cædem & ſanguinem irritarentur. Conuocati omnes atq; iterum in cuſtodiam concluſi. Poſteà tamen intellectum

hoſtes

hoſtes vrbe qua venerant, egreſſos, in caſtra receſsiſſe. Prætor ac primores hoc periculo defuncti, videntes cõiuratos, omniũ iam fortunis vndiq; pernicie ac interitũ machinari, totos ſe in ciuitatis cõſeruandę curã defigunt. Quãobrem decẽ maioribus tormẽtis verſùs hoſtes in foſſa (quæ caſtello circũditur) directis, & ad vrbis defenſionẽ (ſi qua vis ac impetus fieret) aptè diſpoſitis, quibuſcũq; in locis, ac potiſsimũ in ijs quæ vetuſtate iam dilapſa corruerunt, cuſtodias vigiliaſq; conſtituunt. Quibus protinùs ibidem cõſiſtere iuſsis, vt ſi qui nocturnus hoſtiũ terror incideret, continuò lapidibus, teliſq; diſiecti, vrbe portiſque depellerẽtur: cęterę multitudini imperatũ, vt ad quemuis euentũ armata omnis in foro, & in trãſuerſis viarũ diuerticulis præſtolaretur.

Et quoniã apparebat tormenta (quæ quidẽ priùs diximus) in foſsis & murorũ ruinis defixa, nec hoſtibus multum obfutura, nec ciuibus quicquam ad defenſionem opis allatura, idcircò Prętoris imperio ea omnia in planicie

confestim deuecta sunt: ijsq; prata quæ inferiori vrbis parti subiacent, celeriter instructa. Noxq; ferè tota quæ insecuta est, crebris atq; infestis vtrinque tormentorum emissionibus absumta fuit.

Postero die coniurati vicissim cernentes, ex illo nocturno tumultu, plus vrbi terroris quã cladis illatum (propterea quòd glandes quæ è bombardis emitterentur, ciuitatem transuolantes, damni nihil feciſſent) tormẽtis quæ habebant omnibus è summo in planum deductis, ijsq; ad radices montis defixis, vrbem quatere de integro cœpêre.

Verùm enimuerò quòd non ita multò post totis castris cibariorum inopia premi cœptũ est, quò commodiùs posset ex finitimis locis commeatus subuehi, inducias cum ciuibus paciſci decreuerunt. Iacobum quendã Guilielmum, & Radulphum Suttonum, homines impurissimos, ac de infima ciuium Norwicẽsium plebe postremos, huic muneri defungendo præfecerunt. Hij protinùs illinc cũ indu-

induciarũ vexillo ad portas profecti, & permiſſu ciuium ad Prætorem & Senatũ introducti, demùm ita locuti traduntur.

Dux noſter Kettus, eiuſque commilitones, » ab hac ciuitate & à vobis Prętore, patribuſq;, » paucorum dierum pacem & inducias depo- » ſcunt. Quò ſibi per vrbem (ſicuti nuper fieri » conſueuit) detur commeatus ſupportandi fa- » cultas. Quam vtiq; niſi conceſſeritis, per vim » ſe in oppidum irrupturos, atque cuncta ferro » flammaque deleturos denunciant. Prætor ad » hæc reſpondit. »

Proditores eſſe illos tęterrimos, perfidia & omni inaudita nequitia coopertos. Nolle ſe » eorum iniquiſsimis poſtulationibus quicquã » deferre: nec ſi velit, licere quidem: præſertim » illis (hominibus qui vnquam poſt homines » natos exſtiterunt) turpiſsimis. Tot illos, tanta » ac tam intolleranda facinora ſuſcepiſſe, vt nõ » ſolùm è ciuitate excludendi, verumetiam ex » finibus humanæ naturæ (ſi fieri poſſet) peni- » tùs exterminandi viderentur. Regiam ab illis »

Maiestatem imminutam, patriam vastatam,
« Norwicensem pęnè omnem ciuitatem qua-
« quà versùs depopulatam, sibi posteriq́; æter-
« num sceleris & perfidiæ dedecus inustũ, per
« vim ac nefas vexata, polluta, perturbata, dis-
« sipata omnia: tamen vt in ciuitatem admittã-
« tur rogare? vt sint eo iure quo ciues? fructuũ
« ac munerum diuinorum participes? inopiæ
« demũ vt ab his subueniatur deprecari? Quid?
« non pœnitere scelerum quibus se obstrinxis-
« sent? ne pudere quidem? Enimuerò statuere
« nõ posse sceleratioréne sint qui hęc patrarint,
« an impudentiores qui istæc postularint. Spe-
« rare verò se à Prętore, & eodẽ Prętore, quem
« nuper carceris contumeliam perferre coẽge-
« runt, ab hac vrbe, quam funditùs excîsam cu-
« piunt, à populo Norwicensi, cui vim ac belli
« terrorem vndiq; intulerunt, annonam & cõ-
« meatum (veluti furoris pabulum) submini-
« stratum iri, cuius tandem dementiæ videri?
« Eant ergò eant, & Ketto consceleratorũ fla-
« gitiosissimo duci hæc renũtient. Ciues Nor-

wicenses

wicenſes Regiæ Maieſtati, non patriæ prodi- »
toribus & belluis immaniſsimis obtempera- »
turos. Se ne tanti quidem facere pericula & »
terrores, quæ vrbi ab illis intenderentur. Ir- »
rumpant, vaſtent, deleant, exſcindãt, proſter- »
nant, depopulentur omnia, dũmodò vindicẽ »
ſciant & vltorem Deum, & tantorum tandẽ »
conſcientia ſcelerum perhorreſcant. Daturos »
enim proculdubiò eas propediẽ pœnas, quas »
ipſimet ſibi furore & amentia contraxiſſent. »

His in caſtra ad Kettũ & comites celeriter perlatis, impotẽti ira odioq́; (tanq̃ œſtris) perciti, clamore truci ac infeſto vociferantes de colle decurrerũt. Cũq́; propè ad portas perueniſsẽt, omni vi cõnixi ſunt in vrbẽ irrũpere, ſed telis ſagittiſq́; repulſi, eo conatu deſtiterũt. Ac tum quidem quicquid erat tormẽtorum, (quæ anteà diximus in ſubiectos vrbi cãpos delata) id omne à noſtris in hoſtes effuſum: cæterùm in magna tormentarij pulueris inopia, & libratorum imperitia, parùm aut nihil ſanè profectum. Verum timen multi

ſagittis

ſagittis confixi vulnerabantur, quæ cùm in terram frequentes decidiſſent, puberes ruſticani (quorum erat numerus ingens) & alij de fece homines ſordidiſsimi eas legere ſolebant & ad hoſtes deferre. Adeoq; omnes exarſerant animis, vt inermes etiam pueri (perindè ac ſi vis quædam illos à ſenſu mentis abſtraxiſſet) paſsim diſcurrentes, omni verborũ contumelia noſtros laceſſerent.

Addebatur huic maledictorum importunitati facinus odioſum & immane. Etenim (legẽtibus tamen honos prẹfandus eſt) quidã ex illis clunibus detectis, & ad ludibrium in noſtros verſis, truci clamore ac vlulatu cũcta complentes, palàm, ſpectantibus omnibus, ea fecerunt, quẹ ab homine verecundo ſcribi nõ poſſunt. Sed natibus tranſiectis, nonnulli dignas (vti par fuit) ſceleris pœnas dependerunt. Quinetiam ferunt quoſdam ex illis ſagittas in corpore defixas (horrendum dictu) ipſos ſuis manibus è recenti vulnere extraxiſſe, illaſq; (ita vti erant) cruore & ſanguine ſtillan-

ſtillantes, ex coniuratis ijs qui circumſteterant dediſſe, quo in noſtros refunderentur. Tanta inerat in omni pænè ætate cuncta delendi cupido, tantaque ſanguinis hauriendi ſitis.

Intereà verò cùm ex altera parte ciuitatis horribilis clamor oriretur, AD ARMA, » AD ARMA, Ciues ſi viri eſtis AD » ARMA: hoſtes in vrbe ſunt: illucq; om- » nes de repẽtè, vti trepidantiũ mos eſt vbi maximè tumultuantium voces ſtrepituſque exaudiuntur, concurriſſent, coniurati de ſuperiore loco omnia cõtemplãtes, & oppidanos raros in muris, & pro portis conſpicati, extẽplò eam partem ciuitatis quam defenſoribus vacuam vidiſſent inuadere ſtatuerunt. Ibi pueri (de quibus anteà diximus) & ex illa colluuione agreſtium, turba ingens, rem auſi ſunt non modò viſu mirabilem, ſed & auditu profectò incredibilem. Namque inermis cæteròqui multitudo, pars fuſtibus & gladijs, alij baculis, ſparis, aut lanceis, (vt quemq; caſus

armauerãt)inſtructa,in fluuium quo vrbs ad portã (quæ Epiſcopalis appellatur) alluitur, pręceps ſe demiſit. Quem intrepidè tranãtes, & ad portas tumultuoſiſsimis clamoribus vociferabundî deuolantes, omnium mentes tãto horrore perfuderũt, vt nullus pænè exſiſteret qui non eũ diem ſibi vrbiq; fatalẽ futurum crediderit. Itaque pauidi ferè omnes conſternatiq; diffugerunt,& qua cuiq; dabatur iter in domuum ac tectorũ abdita(vrbem indefenſam relinquentes)obſtrepſerunt. At cõiurati omnibus portarũ clauſtris reuulſis, quodcunq; tormentorũ & inſtrumenti militaris reperibant è ciuitate in caſtra tranſportarunt. Ibi cùm è noſtris nonnulli ex harum rerum miſerabili intuitu, dolore ac cõmiſeratione perculſi,voce flebili,ac oculis lachrymantibus,hanc tãtam à ciuitate calamitatem deprecarẽtur:à pueris,& ruſticanis,qui ludibundi circumſteterunt, proditores appellati, ac indigniſsimum in modum omnibus probris maledictiſq; lacerati, afflictiq; fuêre.

Sedenim

Sedenim patefactis iã (vt anteà diximus) portis, cùm omnia seditiosorum audacia violentiaque permiscerentur, (frequentes enim è castris in oppidum conuenerant) Fecialis (namque adhuc in vrbe fuerat, necdum dies vltima à Maiestate Regia multitudini præstituta, ante quam liceret sine fraude ab armis discedere præterierat) cum Prætore in forum magna multitudine ciuium circumfusus deuenit. Ibi Regis nomine denuò denuntiat vti arma deponant, castra relinquãt, » domum (quisque suam) decedant, miseri- » cordia & clementia Regia supplices vtan- » tur, si fecerint saluos se fore, omnisque sup- » plicij securos: alioquin nihil aliud nisi acer- » bissimos cruciatus, mortem, extrema deni- » que omnia exspectanda. Huic cùm dixisset » arroganter sanè & asperè à seditiosis succlamatum est: Iret in malam pestem malumq; » cruciatum, cum suis inanissimis pollicitatio- » nibus: insanire ipsum qui talibus blandi- » tijs in illorum aures influens, confideret eos »

« verborum lenocinijs delinitos, oppreſſos ad « extremum & circumuentos iri. Iſtiuſmodi « verò miſericordiam deteſtari ſe, & modis « omnibus exſecrari, vtpotè quæ extrinſecùs « lubrica & inani impunitatis obiecta ſpe, pe- « nitùs omnem inſidioſiſsimè ſalutem præcidat « & amputet.

Fecialis videns cunctos furori & nequitiæ veluti mancipatos iam, & addictos, nec poſſe vllo vel ſupplicij metu, vel impunitatis ſpe, de ſceleris cogitatione deduci: infecta re, vrbe confeſtim excedens, ad curiam reuertitur. Protinùs à cuius diſceſſu coniurati Leonardum Sothertonum ad ſe acciri iubent, quò illi vincula inijcerentur, quòd is ſe comitem feciali in itinere coniunxiſſet. Sed Sothertonus re intellecta, veritus ne inſana & turbulenta plebs, odio quo in omnes bonos incitata flagrabat, corporis illi carnificinam, necémue infligeret, clanculùm apud ſuos in ciuitate delituit. Deindè Kettus prætorem, Robertum VVatſonum, Guilielmum

mum Rogerum, Ioannem Homerſonum, Guilielmum Bramptonũ, & alios complures comprehenſos, è ciuitate in caſtra, atque indè in cuſtodiam deduci iubet. Quamobrẽ omnibus catenæ iniectæ, atque in montem Surræium concluſi, ibique ad extremũ coniurationis diem in carcere, ac vinculis detenti, tandem pars dimiſſi, pars verò crudeliſsimè interfecti ſunt.

Dum hæc & huiuſcemodi in caſtris tumultuoſiſsimè geruntur, Kettus cernens eò iam rem deuolui, neceſſe vt ſit illi aut cruenta victoria contra patriam potiri, aut dignum moribus factiſq; ſuis exitum propediem fortiri, commodiſsimum ſuis rationibus exiſtimauit ſi copiæ quàm poſſent maximæ contraherẽtur. Quamobrem omnes vndiq; qui conciri poterant fugitiuos, & homines tam à re quàm à ſpe derelictos, præmijs ac pollicitationibus illexit, vt ſeſe ad ſocietatem huius exſecrandi tumultus adiungerent. Itaque incredibile eſt, quantam & quàm penè innu-

merabilem facinoroſorum hominum multitudinem de repentè conflauerit.

Attamen ciues indignè ferebant Prætorem ſuum virum optimum & integerrimũ, à flagitioſiſsimis ſicarijs, & ſanguinis vt iam videbatur ſitientiſsimis vinciri, & vincto inſuper carceris contumeliam & dedecus impingi, metuentes etiam ne tandem ab illis ciudeliſsimè per vim morte mulctaretur, eò quòd pars eorum multa atrocia illi minitarentur: pars verò honeſtiſsimi viri nomen ſcurrili & inſulſo ridiculo, necnon periculoſo (vtpotè quò mors illi quodammodò portenderetur) perſtrinxiſſent. Nam cùm Coddus nominaretur, piſcis autem ſit marinus, quem noſtrates COD appellant, (qui idem Latinis Capito nuncupatur) in Prætoris optimi nomine ac periculo anſas ad riſum & ludibrium alter alteri inuicem ſubminiſtrantes, identidem clamare & vociferari ſolebant, vti omnes craſtinò conuenirent, Capitonis caput eo die publicè in caſtris denario

denario vænum iri. His de cauſis veriti, ne à ſeditioſis grauiùs aliquid in eum ſtatueretur, Prætoris de ſe optimè meriti periculo mirificè perturbati, ad Thomam Alderichium certatim de hac tam importuna audacia, violentiaque effrænata queſtum venerunt. Fuit hic Alderichius vir (vti antè diximus) omnibus vehementer charus, tantumque prudentia, grauitate, & modeſtia perfecit (erat enim impigro atque acri ingenio) vt immaniſsimis etiam hoſtibus illius nomen plerunque terrori exſtiterit. Nam cùm illum omnes magnoperè dilexiſſent, ſingularem eius humanitatem ac modeſtiam admirantes, in tantam (etiam apud ſeditioſorum principes) authoritatem breuî peruenit, vt eius neque conſilium, neq; incœptum vllum fruſtrà vnquam ceciderit. Itaque multis bona, quæ per vim à coniuratis ademta fuerant, illius opera reſtituta ſint, multique Rebellium peſtiferi conatus eius prouidentia ac ſedulitate reſtincti.

Hic

Hic igitur cùm quanto in discrimine Prætoris salus ac vita versaretur, intellexisset, indignitate rei permotus, ad Kettum in castra perrexit, monet vti Prætori vincula adimeret, eumque è custodia liberaret. Ad hæc Kettus cùm veluti cogitatione defixus, verbum nullum emisisset: Alderichius clara voce inclamans, non te pudet proditor nequissime, non dico hominem innocentissimum, sed Prætorem, id est Regiæ maiestatis vicarium fidelissimum, carcere ac vinculis coërcere? Adeóne ferox & cruentus es, vt cùm omnium fortunas ac bona luxu ac libidine dissipaueris, satiari iam non potes nec explere, nisi ad extremum innocentium etiam sanguinem exsorbueris? Quin ergo homo omnium quos terra sustinet sceleratissime, eum confestim de custodia deduci iubes?

Hæ verborum tanquam faces acriter in Kettum intentæ, tantam siue hominis qui loquebatur verecundiam, siue, quod verisimiliùs est, ex scelerum conscientia metum ac for-

formidinem incusserũt, vt quod alij precibus atq; omni cõtentione impetrare nequissent, id ille minis ac orationis grauitate perfecerit. Cuius prudentia Prætor libertatem adeptus, etsi prorsus omnem illã turbulentissimi temporis procellam deuitare nõ potuerit, tamen & carceris acerbitatem & vitæ periculũ fœliciſsimè ſubterfugit. Quamobrem facta illi vltro citroq; in ciuitatem commeandi facultate, multis posteà ciuiũ in ijs malis quæ tum vrbem oppressêre ſubſidio fuit illius probitas & induſtria. Et quoniam omni tempore ad gubernacula ciuitatis ſedere nequibat (quippè qui plerumq; perpetuò in hoſtium caſtris cõmorari coactus fuerat:) Auguſtino quodã Stuardo in illius locum ſuffecto, omnem vrbis defendendę curam (ſe abſente) delegauit. Qui quidem aſcitis ſibi Henrico Bacono, & Ioanne Atkinſono vicecomitibus, ciuitati diligentiſsimè prę fuit, omneſq; oppidanos (niſi qui fortè immaniores exſtitiſſent) in officio facilè continebat.

Cæterùm hic operæpretiũ erit referre, quã triſtes & tetrici Iudices exſtiterũt in eos quos captos, & in vinculis detentos, omni ludibrio & ignominia crudeliſsimè afflixerunt. Quorum tanta fuit atrocitas & nequitia, vt quos ſingulari primum & inaudito ſcelere violaſſent, eos ad extremum diuexatos, & acerbiſsimis affectos iniurijs, ſtolidiſsimæ & inſaniſsimæ multitudini iugulandos obiecerint. Indicto namq; die, quo comprehẽſi veluti rei in publicũ producerentur, vt præpoſtero Iudiciorum more quęſtio de ijs exerceretur: Kettus palam omnibus inſpectãtibus, arborẽ quã vocant REFORMATORIAM conſcendens, (ordine vnoquoque nominatim citato) ab aſſeclis & ſcelerum cõſcijs qui circumfuſi ſteterũt, ſciſcitari ſolebat: quidnam illis videretur? Ibi furioſiſsimi nebulones, de vita innocẽtiſsimorũ hominum quæſitores ac iudices conſtituti, ſi nihil de reo cõperiſſent, BONVM VIRVM eũ eſſe, BONVM VIRVM, & abſolui debere

debere conclamarûnt. Sin autem tenuiſsima alicuius leuiſsimi criminis ſuſpicione, illius qui nominaretur fama perſtricta fuiſſet, aut quæuis vel minima res reperiretur, qua fortè quempiam ex illis aliquando offendiſſet, SVSPENDEATVR, SVSPENDEATVR reſpondet aliquis: cuius voce cætera plebes velut furijs inſtincta, tametſi hominem albus atèrue fuerit penitùs ignoraret (vtpotè cuius antea nomen ne audierit quidem) tamen idipſum ſemper vociferari conſueuit.

Atq; hunc in modum proditores peſtiferi, non iudicio & ratione ducti, (ne ſui fortè diſſimiles viderẽtur) ſed cæco ac repẽtino quodã impetu animi (quaſi turbine) correpti, vno perſæpè verbo, & veſano veluti furoris nutu, viris integerrimis miſerrima & crudeliſsima ſupplicia inflixêre. Tanta certè vis morbi, atque vti tabes omnium animos inuaſerat, vt alienatis propè ſenſibus, & tantorum ſcelerum atrocitate ſtupefactis, omnia

iurā diuina & humana immani furore & audacia polluerint.

Paucis ab illo tempore interiectis diebus, rei militaris præfectura, belliq́; administrandi potestas, GVLIELMO PARO Marchioni NORTHAMTONIENSI ex imperio regis delata est: iusſūq́; vti protinus Norwicum cōtenderet, daretq́; operam vt quoniam hij tanti furores, clemētia ac manſuetudine conſopiri nequiuiſſent, Kettianos perindè ac proditores & Maieſtati Regiæ hoſtes immaniſsimos ferro flammaq́; perſequeretur. Northamtonienſis ex ſentētia rebus omnibus paratis compoſitiſq́;, cum mille quingentis militibus (ſicuti imperatum fuit) paulò poſt Norwicū proficiſcitur. Erant autem illo in exercitu reguli duo, Sheffeldenſis, & VVentworthēſis, prętera Anthonius Dēny, Richardus Southwellius Radulphus Sadlerus, Ioānes Gateſius, Thomas Paſtonus, Henricus Bedingfieldus, Ioannes Suliardus, Gulielmus VValgrauius, Ioan-

Ioannes Cutzius, Thomas Cornwalleyſius, equeſtris ordinis viri. Ad hæc Armigerorũ, & Generoſorum, tam Anglorum quàm Italorum, cateruæ ſplendidiſsimæ.

Cũ iã mille tantùm ab vrbe paſſuũ abeſſet Marchio Northamtonienſis, fecialẽ confeſtim prẽmiſit, qui vrbi (ſicuti mos eſt) niſi paruiſſet, bellũ indiceret. A quo omnibus quæ fieri cõſueſcunt, in ciuitate promulgatis atq; tranſactis, Auguſtinus Stuardus vrbis prætor, celeres protinùs nuntios dimittit, qui Coddo Prætori renũtiarẽt, (inuitiſsimũ hũc anteà diximus in Ketti caſtris detentũ) quæ mandata Regio nomine ciuitati à Marchione Northamtonienſi proponerẽtur. His eâdem qua profecti ſunt celeritate reuerſis, demùm feciali à Prætore reſponſum. Nihil ſibi „ vnquam in vita accidiſſe triſtius, quàm hæc „ mala quę à ſeditioſiſsimis hominibus inuecta, „ patriam ac ciuitatẽ Norwicenſem, antea flo- „ rentem, iam pænè inexpiabili ſcelere peruer- „ tiſſent. Se quantum humana ratione proui- „

« deri potuit) omni ſpe adnixũ, vti hij tumul-
« tus primo quoquo tẽpore profligarẽtur: ne-
« quiſſe tamen præſcelerum rabie quibus im-
« plicatę omniũ mentes tenerẽtur. Carceris ſe
« terrorem, mortis pericula, omnes deniq; acer
« bitates pertuliſſe, ac nunc quidẽ ab hoſtibus
« vndiq; circũſeptũ teneri, alioquin (ſicuti par
« erat) ad Marchionem Northamtonienſem
« cõfeſtim vẽturum fuiſſe. Verum enimuerò
« quò facilius ciuitatem in officio contineret,
« eius tuendæ auctoritatẽ Auguſtino Stuardo
« homini induſtrio delegaſſe, ne fortè ſe abſen-
« te, plebs per imprudentiã laberetur. Vrbẽ in
« illius poteſtate futurã, ſeq; (ſi Kettus permit-
« teret) libenter ad eum iter in caſtra ſuſceptu-
« rũ, & ſuas, ciuitatisq; fortunas, eius fidei per-
« miſſurũ. Hijs properè per fecialem ad Nor-
« thamtoniẽſem delatis, Propręt or cõtinuò cũ
« vicecomitibus ac magno ciuiũ numero ſub-
« ſecutus, in Northamtonienſis caſtra conceſ-
« ſit. Cui enſe tradito (inſigne is eſt Regiæ ma-
« ieſtatis & potentiæ, atque in maximis An-
gliæ

gliæ ciuitatibus prætori ſemper præferri con- »
ſueuit) demõſtrat quemadmodũ prętor ipſe »
(quòd maximè in votis erat) venire nequi- »
ret, ſe tamen atq; primores ciuitatis ſuæ adeſ- »
ſe, qui vrbẽ, ſe, ſuaq; omnia in fidem atq; po- »
teſtatẽ Regiã tranſdaret: fateri permultos op- »
pidanorũ exſtitiſſe, qui deterreri non potue- »
rint, quin cũ his conſentirent, maximã tamen »
optimorum ciuiũ partẽ in fide ac officio per- »
mãſiſſe, neq; ſe cum reliquis cõiunxiſſe, neq; »
cõtra maieſtatẽ Regiam omnino coniuraſſe: »
hanc paratã eſſe, & imperata facere, & eum »
exercitũq; in ciuitatem accipere. Northam- »
tonienſis oppidanorum animos verbis cõfir-
mauit, pollicituſq; eſt ſibi ciuitatẽ curæ futu-
rã, magnam ſe habere ſpẽ, fore vti hij tanti fu-
rores, quibus nunc omnia arderẽt, breui cõ-
peſcerentur. Quæ cùm dixiſſet, Southwellio
enſẽ tradidit: quẽ ille (qui honos ſemper à no
ſtris, Prefectis regijs antiquo more & ſolenni
defertur) nudo præferens capite, Northam-
tonienſi in ciuitatem præibat. Qui per por-

tas

tas D. Stephani ingreſſus, protinùs indicit, vti omnes ad ſe in forum conuenirent. Ibi diu deliberatum, multaq; à multis tam ad vrbis defenſionem quàm ad hoſtium impetus retardandos excogitata. Tum vigiliæ in muris & prò portis excubiæ, omnibuſq; in locis (ſi quæ fortè infirmiora videbantur) armati ad quemuis euentum collocati.

His conſtitutis rebus atque peractis, Northamtonienſis ſub noctem, venit in domum Proprætoris, ibiq́ue cum cætera multitudine Nobilium, ac Generoſorũ cœnatus eſt. Peracta cœna, cuncti in illis ædibus, etſi itineris tædio, ac æſtu languidi, armati tamen, ne incauti opprimerentur, ea nocte conquieuêrũt.

Atq; hic caſu ne, an conſilio euenit, nondũ ſatis comperi, factum tamẽ eſt, vt Itali quidã cum magna Coniuratorum manu (multis vtrinq; vulneribus acceptis & illatis) conflixerint. E quibus vnus, cũ intrepedantius ſe in medios hoſtes inferret, vir fortiſsimus, primùm multitudine circumuẽtus, ad extremũ captus,

captus, & ignominiosissima morte affectus est. Nam vestibus omnibus, & armis (quibus indutus erat sumtuosissimis, & affabrè sanè factis) detractis, nudum eum (multis tamen prius affectū probris & cōtumelijs) de quercu in arce Surrienſi ſuſpēderūt. Magnū equidē omnes acceperunt dolorē, ex tā crudeli, ac miſerabili morte optimi viri, ac militis præſtantiſsimi, hancq; tam atrocem ignominiam ab illo (ſi licuiſſet) pecunia (quanta certè æſtimari non poteſt) libētiſsimè redemiſſent. Verūtamē ex huius calamitate, ſtatim initio perſpectū, qualis & q̄ deteſtabilis in ijs qui contra patriā ſcelerata arma ſumſerūt ineſſet immanitas. Quanquā nō ita multò poſt conſilio diuino (neq; enim malos diu cōſiſtere patitur inultos innocentiū profuſus cruor) Caymus ipſe qui author huius tam diræ crudelitatis exſtiterat, eodem genere mortis, etſi nimium ſeras, dignas tamen tam exſecrabili ſæuitia pœnas ſuſcepit.

At, enim Northamtonienſis nocturnos

hoſtium in vrbem introitus metuens, iuſsit vt cuſtodiæ,& vigiliæ,(quas anteà diximus diuerſis in locis diſpoſitas, in muris, & portis,cõſtitiſſe)acerbiùs,& diligentiùs(quã vulgò fieri conſueuit) circumirentur. Quò (noſtrorũ tũ oculis tũ animis in omnes hoſtiũ conatus paratis atq; intentis)ſi quæ fortè nocturni tumultus procellæ exſuſcitarẽtur, eorum cõſilijs facilimè, ac nullo negotio occurri poſſet & obſiſti. Quod quidem à cẽturionibus ſedulò factum fuit, cæteriq; omnes milites in foro excubabãt, qui magna lignorũ ſtrue exſtructa,eandem incenderunt,ne ſi quid fortè contingeret, noſtri tenebris & locorũ inſcitia impediti, hoſtiũ inſidijs, imprudentes,& incauti,circumuenirentur.

Edwardus VVarnerus,(equeſtris ordinis vir)& tum tribunus militum(Mareſchallũ vulgò appellant)teſſeram dedit. Thomę autem Paſtono,Ioanni Clero, Gulielmo Valgrauio,Thomę Cornwaleiſio,Henrico Bedingfeldio,(exploratæ virtutis,atq; prudentiæ

tiæ viris) diuersæ vrbis partes ad defensionẽ ipsius distributæ sunt. Qui omni studio rem complexi, summaque cum alacritate officio functi suo: tùm huc,& illuc,perpetuò circũcursitantes,nostrisque nunc voce, nunc vultu, nũc labore, & alacritate ipsimet sua, vim & aculeos addentes, pestiferos rebellium conatus prudentissimis consilijs anteuerterunt.

Porrò cunctis iam rebus ex sententia confectis, Northamtonienſis, quique cum illo venerant omnes (ijs solummodò exceptis, quibus, vt diximus, propugnãdę vrbis cura incubuit)corpora diurno fessa labore,quieti tradere constituerunt.

Iamque suaui sopore, nostrorum hominum membra deuinxit somnus, cùm concubia ferè nocte coniurati, ac si iamiam in vrbem irrupturi forent, terribili tormentorum tonitru, horrificisq; omnia circum clamoribus permiscuerint. Quanquam certè percommodè ea in re accidit, vt ferreæ

pilę,quę maioribus è tormentis in vrbem diſploderẽtur, perpetuò ſuprà noſtrorum capita volantes,non magnoperè nocerent,ſiue eas ignis vis,impetuſque,violentiùs abſtulerit,ſiue libratorum manus infidæ (nam ſunt qui pecunia corruptos putent)tormenta ſua altiùs aliquantulũ quàm expediret, de induſtria direxerint. Quæ quidẽ dũ hũc in modũ (quãuis ſemper ſine damno) creberrimè tamen, ab impuris importuniſq; latronibus excercerentur,continenti fragore,reboatuq; horriſono tantum terroris inuexerãt, vigiles vti noſtri qui in muris, quiq́ue in portarum ſtationibus conſtiterunt,(AD ARMA) ſæpiùs conclamarent. Idq; cùm crebrò fieret (neq; enim hoſtes vnquam furere deſtiterunt) Northamtonienſis qui ſe,ſi quid in vrbẽ tumultuoſius coniurati machinarẽtur, protinùs acciri iuſſerat, à Tribuno militum excitatus,ijs quos in exercitu habebat nobilibus ac generoſis ſtipatus, in forũ deſcendit. Deincèps quò paucitati atq; infrequẽtiæ militum

litũ prospiceretur, oppidũq; faciliùs propugnari posset, consiliũ cœperũt huiusce modi: vti omnes auersæ ab hostibus portæ, murorũq; ruinę obstruerẽtur, rati sic nec militẽ ad mœnia defendenda defuturum, si copiæ angustiùs contraherentur, & hostem sine periculo vrbis introitu arceri posse.

Rebus hijs institui iam cœptis, & ad exitũ pænè perductis, seditiosi ad vnũ ferè omnes, rapidissimi torrentis more, è speluncis deoluti suis, dissonis cum clamoribus, atq; vlulatibus feris, inconditisque, ad vrbem decurrerunt. Ibi ferro, igniq; portas comburere, atq; exscindere conantur alij, alij muros conscendere: fluuium tranare nonnulli: multi per loca humiliora, & vetustate collapsa mœnia, in oppidum sese inijcere. Cõtrà nostri omnia moliri cœperunt: magnaque vi contendere: ingressum hostem vndiq; fortiter repulerunt: aduentantem iam, & influentem, viriliter represserunt: hastis, sagittis, gladijs, omni telorum genere profligarũnt:

eoque rem deduxerunt, vti fractus paulatim atq; imminutus irruentium vigor, fluctuare aliquãtulum incœperit. Cæterùm pugna fit inflãmatiſsimis vtrinq; armis, ſæua, peratrox, cruenta, (ſi qua alia) dũ in vrbẽ per vim infundere ſe niterẽtur hij, noſtri autẽ illos omni aditu prohibere. Itaque ad horas ferè tres, acerbiſsimis inter ſe conflictati odijs decertarunt, cõmiſſumq; acriùs (ſuprà quã quis crederet) & ardentiùs, diuerſis in locis pręliũ: euẽtu certè adeò dubio, & ancipiti, vt niſi noſtrorũ hominũ ad repugnandũ ardor mirificus, Paſtonij verò, Valgrauij, cæterorumq; equitum peregregia virtus, & planè inexſuperabilis exſtitiſſet: ea nox noſtris proculdubiò vna omnium calamitoſiſsima cõtigiſſet. Tanto ſiquidem furore rebellium mentes ignitæ atque incęnſæ fuerunt, tantaque bellandi libidine, vt quamuis mortiferis concîſi vulneribus, pugna tamen abſtinere noluerint, ſed ſemianimes, & ſuo, atq; alieno, immerſi cruore, ad extremũ vſq; ſpiritũ, noſtris indigna-

indignabundi reſtiterunt. Multi etiã pectoribus ferro transfixis, & fœmorum neruis, atq; poplitibus inciſis, (horreſco referẽs) genibus innixi tamen, tam diris exagitabantur furijs, noſtrorum vt nates atque crura intermortuis iam pænè manibus, & planè exſanguibus conuulnerarent. Verùmenimuerò noſtri inclinatam iam tandem hoſtium vim & ſubdebilitatem animaduertentes, impetu adeò vehementi ſeſe intulerunt, vti ſuſtinere repugnãtes diutiùs, aut cõſiſtere nequierint, ſed viribus vndique protritis atque contuſis, ingenti cum ſtrage ſuorum (trecẽti enim in illa pugna ceciderunt) ex oppido expulſi, reiectíque, in perinuiſa cubilia denuò ſeſe condiderint. Quo noſtri prælio defuncti, (paucis ex ſuis deſyderatis, vulneratis verò paulò pluribus) aduerſus omnes hoſtiũ inſidias ſecuri, id quod ſupererat noctis, (ſuperfuit autem non multùm) quieti dederũt.

Craſtinus autem vbi illuxiſſet dies, ex oppidanis nonnulli ad Northamtonienſem

nienſem detulerunt, permultos eſſe coniuratorũ in Ketti caſtris, quorũ in animis omnis iam furor reſtinctus deferbuiſſet, hos perfacile & nullo negotio impelli poſſe, vt ab illa cõſcelerata perditorum hominum ſocietate deſciſcentes, ad officij cogitationẽ & ſalubriora cõſilia ſeſe traduci ſinãt. Pertæſum enim iamdiu ſcelerum quæ perpetraſſent, præſtoq; eſſe ad portas Pockthorpenſes, quatuor vel quinque millia hominum, qui nihil aliud exſpectent, nihil deſiderent, niſi pacem & veniam, quę ſi iam tandem ab illo proponeretur, cõfidere ſe illos è veſtigio arma abiecturos, & Regiæ ſe clementiæ miſericordiæque permiſſuros. Northamtonienſis ex hoc nuntio, incredibili ſanè lætitia ac voluptate perfuſus eſt, vtpotè qui maluerat facilem & incruentã reportare victoriam, quàm (etſi perduelles eſſent & nocentes) lugubrẽ tamẽ, & ciuili ſanguine reſperſam. Fecialem vnà cum Tubicine confeſtim dimittit, iubet fidem vti Regiam interponeret, impunè fore omnibus

omnibus qui ab armis recederent. Hij continuò ad portas Pockthorpenſes progreſsi, neminẽ tamen illic inueniunt. Verùm fecialis buccina ſignum dat, ad quod cùm ab hoſtibus effuſiſsimè de Monte decurſum eſſet, Flotmannũ quendam (hominem ferum & immanem) conſpicatus, (princeps enim de colle deſcenderat) clara voce fecialis conſiſtere iubet. Quærenti quidnam eſſet: & cur tubæ cantu illos ad colloquium conciuiſſet: Fecialis: Abi (inquit) & à Marchione Northamtoniẽſi, huius belli prẹfecto tuis, renũtia: Maieſtatem Regiam monere, vti iam tãdem reſipiſcant, & his tantis furoribus finem imponant: ſi fecerint: ſaluos ſe fore: & illius clementia tutos, & incolumes, neq; cuiquam quod admiſiſſet ſceleris, fraudi futurum.

Ad ea Flotmannus (vt erat volubili ſemper lingua, & ad petulantem loquacitatẽ celeritate quadam præcipiti) ſuperbè, minaciterq; reſpõdit: Quod ad Northamtonienſem attinet, ſe ne tanti quidem facere, nullius neq;

" virtutis , neque consilij , neque fortunæ
" virum , sed eum contemnere , & pessimè
" odisse , tanquam infamem , leuem , impu-
" rum, atque alienæ semper opis indigentem :
" perfidia denique, atq; omni proditionis tur-
" pitudine delibutum. Regiæ salutis,dignita-
" tisque propugnatores , se semper acerrimos
" exstitisse,eaq; mente perpetuò futuros,illius
" vt incolumitate suas,omniumque bonorum
" fortunas, inniti arbitrentur. Arma se indu-
" isse, non contra Regem,sed quæ Regi, sibiq;
" in posterum salutaria futura confidant: neq;
" vlla, vel concepti sceleris cõscientia, vel læsæ
" maiestatis dedecore illigari. Ecquid enim
" aliud conari? quàm regium nomen,maiesta-
" temq; defendere? cõmuni saluti prospicere?
" legum libertatisque iura tueri? semetipsos,
" coniuges,liberos, fortunasq; suas cõseruare?
" rem deniq; publicam (indignis vexatã mo-
" dis)ab inimicorũ suorũ detestabili superbia,
" libidine , crudelitate , vindicare ? Proin cul-
" pæ expertes à pœna ita immunes ac liberos
esse

esse debere. Nam quod persplendens ille »
præco, multoq; perinsignis auro, ad speciem »
præclara sibi quædam & magnifica dudum »
proposuisset: id eo sanè fieri cõsilio, vt aut in- »
sidiosa pacis cõditione, libertatis reciperan- »
dæ studia restingueret, aut ipsos salutaribus »
quibus septi fuerãt pręsidijs nudatos, omniq; »
ope excluſos, truculentissimis belluis deuo- »
randos obijceret. Impunitate igitur (inquit) »
tua qui deliquerint, fruantur: per nos licebit: »
nos qui hijs armis, atque innocentia tecti no- »
stra, securi tutiq; sumus, nullius vnquam mi- »
sericordiam implorare decreuimus. Etenim »
prostratã iam pænè Rempub. & generosorũ »
indies importunitate labefactatã, & impulsã, »
aut hijs conatibus, ex miserabilibus in quibus »
iam diu iacuit ruinis, ad pristinã dignitatem »
excitaturi sumus: aut (quod viros fortes, ma- »
gnoq; prędítos animo decet) capitis periculo »
audacter decernentes, in prælio (nequaquã »
prodita, quãuis oppressa libertate) morituri. »

Vix dum finem fecerat huius furiosissimæ

orationis(homo mortalium omnium perfidiosissimus, cum repens de improuiso clamor omnem quaquà versus vrbem peruasisset,horribilesq; exaudirentur hominũ trepidantium,& AD ARMA conclamãtium voces,quibus omniũ vndiq; aures personauerũt. Namq; hoc ipso tempore dũ hęc ad portas Pockthorpenses fierent, coniurati insanabili rabie ac pertinacia incitati,per loca quædam propter infirmorũ hospitia in vrbem irrumpentes, hostilem in modum omnia ferro igniq; vastantes incedunt. Verũtamen à nostris in planicie iuxta palatium Episcopi Noruicensis celeriter occursum est, ibique pugnatum diu sanè atq; acriter,circiter centum & quadraginta hostium cæsi, & ex nostris militibus aliquot, vtrinq; autem multi grauissimis vulneribus affecti.

Sed omnium oculos mentesque miserabili luctu ac horrore perstrinxit DOMINI SHEFFELDII mors indignissima. Hiç dum(vt fit) generis ac dignitatis,magis quàm

quàm ſalutis ſuæ memor, viuidus, & ferox, reiq; gerendæ percupidus, in confertiſsimos hoſtes alacriùs & incautiùs pugnans inuehitur, fortè fortuna, ab rapido curſu circumagẽdo equo effuſus, in foſſam præceps deuoluitur. Ibiq; vir nobiliſsimus à ſicario ſceleſtiſſimo crudeliſsimè interficitur. Cumq; hanc tam dirã, & atrocem à ſe mortem, omnibus modis, quà præmia maxima pollicitãdo, quà nobilitatem, nominiſque ſplendorem ſæpiùs indicando, deprecaretur: tantum afuit illorũ vt animos, aut hominis, aut nominis, cõmiſeratio ſubierit, vt eò ferociores exſtiterint. Poſteaq; de facto (velut glorioſiſsimo) inter ſe contendentes, ad laudem eius tam inuiſi facinoris, ita cuncti animis exarſerant, vt pænè ad vim ventum ſit, cùm vtrinq; incenderẽtur, ad decus & gloriam, quæ apud ſuos propoſita videbatur ei, qui homini ſplendidiſsimo, fatale illud vulnus, ac mortiferum inflixiſſet. Sed omnium opinione, Fulcus cæteris palmam præripuit, qui palàm prædicabat

bat (Deum deteſtans) à ſe claua ictum interiſſe. Vtcunque fuit, vir clarus & honoratus, hoc tam triſti fato functus, occubuit. Et Fulco non ita multò poſt (vindice Deo) debita tanto ſceleri præmia perſoluta ſunt.

Verùm enimuerò dici non poteſt quantũ ſemper in vtramq; partem valeat ad victoriã, ampliſsimorũ virorũ interitus. Etenim hoſtes cognito hoc tam lugubri caſu, infeſtiores fieri cœperunt, & ad prœliũ cõmittendũ alacriores: noſtri autẽ ſenſim animis imminuti, paulatim elãgueſcere: adeò vt cõiurati lętitia elati, magno vndique clamore quaſi explorata iã victoria, ſublato, in vrbẽ (quà dabatur iter) noſtros hoſtiliter inſequẽtes, inuolauerint. Qui partim multitudine oppreſsi, (viginti enim pænè millia cõiuratorũ erant: noſtrorũ autẽ mille tãtũ quingenti) partim autẽ huius illuſtriſsimi adoleſcẽtis clade perculſi, vrbe ceſſerũt: diuerſiſq; itineribus per deuia tota nocte inter ſaxa, vepres, & virgulta dilapſi, Londinum tandem omnes reuerterunt.

At

At ciues tot tantiſq; onerati atq; obruti malis, cùm omnia vndiq; hoſtium plena eſſent, vim ac cædem, cunctaq; quæ in captis vrbibus fieri ſolent hoſtilia metuentes, omni ſpe abiecta, è ciuitate diffugerunt. Tantoq; pauore plerumque omnium animi defixi fuerunt, vt multi mentibus ſimul luctu, metuq;, à ſenſu rerum ſuarum abalienatis, vxores & liberos, omneſq; fortunas in hoſtium poteſtate relinquerent. Multi verò ſuam quiſque ſpem, ſua conſilia (communibus deploratis) exſequentes, quicquid eſſet auri, argẽtiue, & ſupellectilis pretioſi, in cloacas puteoſq; demerſerunt. Vrbem verò totam quaquà verſùs perculit luctus, & mulierum puerorũq; ploratus, qui cum hoſtiũ clamore, & flammę ſonitu, & ruentium tectorũ fragore permiſtus, horrendo cuncta compleuerat ſono. Nam coniurati ſtatim à Northamtonienſis diſceſſu tectis ignem iniecêre, iſq; per domos vicoſq; horribili flamma diffuſus, magnã vrbis partem celeriter abſumpſit. Etenim quæ

erant

erant ad vicum Holmenſem ex vtraq; parte incẽdebãtur omnia, hoſpitiaq́; quæ plebi inopi ac valetudinariæ deſtinabantur, tum Epiſcopalis, Pockthorpenſis, Magdalenenſis, Beareſtretenſis portæ, multaq́; prætereà varijs in locis ædificia conflagrauerunt.

Accidit autem peropportunè, vt eodem tempore, magni imbres de cœlo defluerent, quibus ignis celeriter reſtinctus, nequaquã tam paſsim, ac latè quã hoſtes volebant, peruagatus eſt. Ad hæc proditores diuitum domus ingreſsi, eas diripuerunt, exhauſtas etiã nonnullas igni concremauerunt. Tantaq́ue, & tam varia, nefandæ crudelitatis exempla vbique ediderunt, vt iam non homines, ſed immanes belluæ formam hominum indutę, in vrbem ingreſſæ viderentur. Etenim ſatis conſtat, illa tempeſtate ciuitatis ſpeciem, tam lugubrem, ac miſerabilem exſtitiſſe, cùm nihil aut oculis hauriretur, aut auribus conciperetur, niſi vlulatus, cantuſque hoſtium diſſoni, fletus muliebris, virorũ clamor, & huc

&

& illuc discurrẽtium strepitus, tum ferrum, flamma, ruinæ, cæteraque (quæ ne narrando minora faciam prudens prætereo) vt nõ videntium solùm mentes oculosq; horror perfuderit, verumetiam audientium aures & animos incredibili mœrore perculerit.

Capta igitur hunc in modum à coniuratis vrbe, incẽsa, direpta, deserta, cùm omnia vndiq; (præterquam ab hostibus) solitudo occupauisset, (nam qui in oppido remanserãt, obseratis ianuis in intima ædium sese abdiderant) Proprætor solus, velut ad spectaculum occidentis patrię à fortuna relictus, consilij, & auxilij expers, cùm de summo ædium cuncta flammis ac ruinis vastata vidisset, ratus, hostes non ita multò post, sicut ædibus stragem intulissent, sic hominibus vicissim vim ac mortem illaturos, occlusis foribus domi se continebat.

At coniuratorum intereà manus ingens, velut agmine facto, per portas Augustinenses in vrbem irrupit, cunctiq; præcipiti cursu

ad Proprætoris domum delati, fuſtibus & ijs quæ ſors obiecerat baculis armati, fores effringere conãtur. Demùm ignis ſubijci cœptus, ad quem terrorem Proprætor cùm cohorruiſſet, ianuam (namque omnes ſerui in fugam ſe proripuerant) recludit. Protinùs illũ comprehendunt, palliumq́; (quo tũ fortè vtebatur) detrahunt, proditorẽ appellant, necẽ deniq; minitãtur indignã, niſi indicaret quo in loco Northãtonienſis delituiſſet. Cũ ille, diſceſsiſſe omnes reſpõdiſſet, eam vocem cũcti clamore ac indignatione tumultuoſiſſimè exceperunt, omniq́; impetu in ædes irruentes, loca quęlibet furaciſsimè perſcrutãtur. Deindè ad prædam dilapſi, ſpolijs onuſti receſſerunt. Sed multi, partim pecunia alijſq́; rebus à proprætore acceptis, partim cuiuſdã hominis voce, qui illa intolleranda eſſe dixit, & furta ac flagitia omni ſupplicio vindicãda repreſsi, ſarcinas oneraq́; quę prius aſportaſſent denuò in officinas coniecerunt. Verũtamen permulti ciuium, quorum domus ſeditioſi

ditioſi intrarunt, cùm Northãtonienſes tantùm quęrere prę ſe tuliſſent, omnibus fortunis exuti ſpoliatiq́; ſunt. Pręcipuè verò eorũ ædes deſpoliauerant, qui vrbe ceſſerunt, illos proditores, Maieſtatiq́; Regiæ hoſtes apertiſsmos eſſe prędicantes, bonaque illorũ ſe in fiſcũ redacturos. Cęterùm oppidanorũ nõnulli id conſilij cœperunt, vt panem ac potũ, omniſq́; generis alimenta furioſiſsimæ multitudini exhiberent: quibus miſera ac ieiuna plebs delinita, nonnihil à rapinarũ rabie cõquieuit. Nihilominùs quàmplurimi, hac inexſpectata calamitate accepta, magna dãna, iniuriaſq́; pertulerunt, tantiſq́; depreſsi difficultatibus fuerũt, vt ſemper poſteà dũ vixerant (viuunt autẽ adhùc etiã nõnulli) domeſticis rebus implicatiores exſtiterint. Subit interim rebelliũ animos (vt videbatur) futuri tẽporis recordatio: proin à vi ad ſalutis curã cõuerſi, Proprætori, vrbiſq́; primoribus imperãt, vti oſtiatim à ciuibus, ad omnes portas cuſtodiæ vigiliæque quotidiè inſtruantur:

ni fecerint, mortem ac cruciamenta acerbiſſima interminari.

Prætereà in templo (horrendum dictu) in templo Dei optimi maximi, proditores importuniſsimi, quoties pluuia decidiſſet, furorum ſuorum caſtra locarũt. Eoq; progreſſa eſt improbitas & audacia, cunctaq; delendi libido, vt nec ſapientiſsimorum hominum voces, nec diuinæ vindictæ terror, nec mulierũ lamenta, & lachrymæ, eos à ſcelere auocare potuerint. Etenim fœminæ, poſtquàm cæde inermium temperatum conſpexiſſent, frequentes ſeſe in vijs obiecerant, vti patriæ parcerent rogantes, ſibi, ſuiſque, homines ſe meminerint, hominibus natos, ſatis in illos, quorum cauſa arma ceperunt, ſæuitum, ijcerent modò frænos iræ, pacem veniamq;, atque omnia proculdubiò bona à Maieſtate Regia cõſecuturos. Sed vt anteà dictum eſt, nec minæ, nec ſapientum conſilia, nec precũ blanditiæ, neque vlla denique res, potuit eos à tanta flagitiorũ atrocitate deterrere: donec

patriæ

patriæ miſerandam cladem, & ſibijpſis dignum talibus ſceleribus exitiũ tandem contraxiſſent.

Namque Rex poſtquam intellexiſſet maieſtatem ſuam indies magis magiſq; minui: nefariorum hominũ cœtus augeri: cuncta hoc exſecrabili inſaniſsimi tumultus furore permiſceri: clementiam & manſuetudinem regiam cõtemni: nullũ iam miſericordiæ locum relinqui: lenibus remedijs nihil profici: inſanabiles eſſe animos, & letali lue contactos: omnem denique ſalutis ſpem penitùs ademtam, niſi eam ſolã quæ in vi & ſupplicíorum atrocitate defixa foret: hanc primo quoquo tempore adhibendam exiſtimauit. Quamobrem in Comitatu Lincolnienſi, & varijs Regni regionibus, delectus inſtitui, ac militem conſcribi iuſsit, magnumq; Heluetiorum numerum accerſiri, ratus (id quod res monebat) ſceleratã iam gẽtem ſtirpemq; penitùs interfici debere, alioquin ſe latiùs diſsiparet, vicinamque plebem ſceleris con-

 tagione

tagione inficeret, tum demùm difficulter ſiſti poſſe, illius peſtis feruor longiùs peruagatus, atque in regni tanquam venas ac viſcera illapſus, omnes eius partes funeſtiſsimis perfidiæ flammis inuoluiſſet. Huic exercitui IOANNES DVDLEIVS comes VARVICENSIS, peregregiæ nobilitatis admirandæque virtutis vir, præficitur: illiq; literis mandatiſque Regijs imperij ſumma defertur.

Hæc autem tũ apud noſtrates opinio omnium ferè ſermone percrebuit, huius ampliſſimi Comitis tantam eo tempore animi magnitudinẽ ac rei militaris ſciẽtiam exſtitiſſe, vt aut ab hoc ſuperari, aut à nullo certè profligari poſſe viderentur. Harum igitur rerũ voces in vulgus crebrę ſparſę diſſeminateq;, aliquã exercitus, apparatuſq; regij, rumoris auram Kettianis afflauerat. Poſteà verò cùm pro certo comperiſſent delectus illos, Ducem, arma, cohortes, omniaq; bellici terroris inſtrumenta, in ſe inſtituta, parata, intenta

tenta fuisse, cõfirmare se indies, ac omnia circumspicere, ac periclitari cœperunt, quò instructiores essent ad resistendum. Tantum abfuit vt eorum immanitatem & audaciam vlla vel ratio imminuerit, vel terror infregerit.

Hunc in finem cùm multa quotidiè à seditiosis tumultuosiùs fieri animaduertissent ciues quidam, vim, cædem, rapinas, incendia, omniumq; rerum lamentabilem interitum metuentes, demũ ne inuiti etiam ab illis stare cogerentur si in ciuitate remansissent veriti, rebus omnibus quæ raptim coaceruari poterant, in vnum congestis, ijsq; aut in terram defossis, aut cæmentariorum opera, latere lutóue circumclusis, noctu clàm ex vrbe profugerunt.

Varuicẽsis interea, postquã se milite tã domestico q̃ externo, pecunia, armis, cunctisq; quæ bello vsui rebus fut, instruxisset, omnibus copijs circũfusus Lodino proficiscitur. Fuerũt in illo exercitu Marchio Northamtoniẽsis,

(penes

(penes quem rei militaris administratio nuper fuit) VVilloughbæus, Poijsius, Braius, multiq́ alij proceres illustrisimi: præterea equitum, armigerorum, generosorum, Heluetiorum, & cuiusuis ordinis militum circiter millia pęnè quatuordecim. Cùm ad Cãtebrigiam perueniissent, ibi, ad castellum Varuicensi obuiam fit à primoribus aliquot vrbis Norwicensis, cæterisque ciuibus, quos paulò antè diximus, ex formidabili & perinsana coniuratorum audacia, timore cõcepto, cõfusos, perterritosq́; ex oppido profugisse. Hij squalore, & sordibus obsiti, & in genua prolapsi, vniuersi se ad pedes illius proieceruht, flebilibusq́; eum vocibus atq; lamentis
« vehementiùs obsecrare cœperunt: Ne quid
« grauius in se statueret, nullius se culpæ con-
« scios, Regiam tamen clementiam ac miseri-
« cordiam deprecari. Incredibilem sanè dolo-
« rem, ex hac miseranda patriæ clade ac vasti-
« tate cõcepisse, extrema omnia perpessos de-
« mùm quò vitæ consulerent, fugere è ciuitate
coactos,

coactos, ferro, flammaq́; ab vrbe, ab vxore, „
à liberis,& pænè à complexu ſuorum diuul- „
ſos & eiectos. Tantis in miſerijs (quibus vn- „
diquè premerentur, nihil tamen aliud obte- „
ſtari, niſi, vt ſi in hoc communi, & ſummo „
omnium timore, per errorem & impruden- „
tiam, inſcios ſe aliquo ſcelere implicauiſſent, „
id ne fraudi ſit, ſed vt huic omnium dolori „
& precibus condonaretur. Varuicenſis
ad hæc: Intelligere ſe quãto in periculo fue- „
rint, magnamq́ue eam perditorum hominũ „
proculdubiò vim exſtitiſſe, quę ab omnibus „
ijs rebus eos, quæ tantum non vita cario- „
res ſunt, abſtraxiſſet: fateri nihil illos (quod „
ſciat) perperàm admiſiſſe. Quòd vrbem in „
tanto terrore reliquiſſent, humanum id qui- „
dem & ferendũ videri. Vna in re paulò im- „
prudentiores fuiſſe, qui initio, hijs tantis ma- „
lis non obſtiterint, per paucos quidem fortes „
& prudentes viros, momento temporis illos „
cœtus diſcuſſuros, ſi recentire, ſe pro ſalute „
patriæ intrepidè obieciſſent. Veniam nihilo „

« tamen ſeciùs quàm peterent concedere, Re-
« giamq́; cunctis clementiam impertiri. Iube-
« re inſuper vbi ſe telis militaribuſq́; rebus in-
« ſtruxiſſent, parati vti ſint qui agmen ſequã-
« tur, colla tæniolis circumuincti, quò à cęteris
« diſcerni queant.

His peractis, Cantebrigia proficiſcitur, & a.d.X.Kalendas Septemb. omni cũ exercitu Intwoodiam peruenit. Diſtat autẽ Intwoodia Norwico, ad duo ferè millia paſſuũ, ibiq́; Thomas Greſhamius quidã (equeſtris ordinis vir) domũ habuit ſanè peramplã & ornatã, in qua Varuicenſis eo die, & inſequẽti nocte cũ ſuis permanſit. Armati tamen omnes fuerũt, & ad pręliũ inſtructi, ſi quid fortè tumultus repentini hoſtes exciuiſſent: qui quidẽ è ſpeculis & turribus cuncta quæ fierent cõtemplabantur. Varuicenſis interea dum (vt anteà dictum eſt) cum omnibus copijs VVintwoodię cõſediſſet, fecialem mittit, qui Regis nomine vrbi, ciuibuſque (vti mos eſt) bellum denunciaret, niſi portis quã primùm

primùm patefactis,atq; recluſis Regium exercitum in oppidum intromiſiſſent.

Kettus vbi fecialem ad portas peruenisse intellexiſſet, Auguſtinũ Stuardũ proprætorem & Robertum Ruggũ vrbis primores, adire eũ iuſsit, & ab illo quid poſtulatũ veniſſet ſciſcitari. Ij per poſticũ emiſsi,re cognita,feciali reſpõdẽt: Miſerrimos ſeſe arbitrari „ omniũ qui vnquã vixerũt mortaliũ, tot tan- „ tiſq; cladibus & animo, & corpore perfun- „ ctos, vt ad earũ memoriam totis artubus cõ- „ tremiſcant. Veruntamen hoc vnũ prætereà „ etiam ad ſummam calamitatem, doloris & „ dedecoris adiungi, quòd eam quam Regiæ „ maieſtati fidem deferre & debeant, & cupi- „ ant,hoc tempore preſtare nequierint. Infœ- „ liciſsimos ſeſe exiſtimare, quorum in illa „ tempora ætas incidiſſet, quibus implicita, „ ſemper aut vitæ, aut dignitatis diſcrimen „ ſubeundum foret. Nihilominùs benè ſe de „ Regia Maieſtate ſperare, vtpotè qui nullo „ horum ſe ſcelerum conſenſu deuinxerint, „

« ſed ea(quantum certè fieri potuit) à ciuibus
« ſuis magna cum rei familiaris iactura, & in-
« credibili ſemper vitæ diſcrimine depulerint.
« Vnum hoc inſupèr à Varuicenſi demiſiſsi-
« mè deprecari, vt quoniam in vrbe Kettiano-
« rum innumerabiles eſſent inermes, inopes,
« ac nudi, quos (præterquàm quòd metu &
« flagitiorũ conſcientia, aſtricti tenerentur, cę-
« teroqui huius ſocietatis pertæſum eſſet, (vt-
« potè qui cupiditatem ipſam malefaciendi,
« furorũ ſatietate repleuiſſent) rem ſæpiùs fru-
« ſtrà tentatam, ſemel tamen iterùm experiri
« dignaretur. Magnoperè ſeſe confidere de-
« monſtrant, ſi hoc tempore impunitatis ſpes
« denuò propoſita ſit : fore vti protinùs ſine
« cæde ac ſanguine ab armis diſcedatur. Æter-
« nam eius rei ad poſteros memoriam futurã,
« & gloriam quauis victoria prę ſtantiorem: ſi
« pacem ac tela ciuili nequaquã imbuta cruo-
« re domum reportaſſet.

Fecialis continuò à colloquio Proprætoris in caſtra Varuicenſis digreſſus, cuncta quæ ab

ab illo didiciſſet demonſtrat. Varuicenſis, cui nihil antiquius fuit, quàm vt (ſi qua ratione confieri poſſet) incendium hoc, tam periculoſum, & acerbum, ſine cruore ac ſanguine reſtingueretur: ſtatuit & ipſe quoq;, huiuſce rei conſilium, non facinorum, quæ deſignaſſent atrocitate, ſed dignitate Regia, & regni vtilitate metiri.

Metuebat inſupèr ne Generoſi qui vincti in carcere ac cuſtodijs detinebantur, magnis indies terrorum iactati fluctibus, tandem ab illis crudeliſsimè interficerentur. Namque mortem illis quotidie interminabantur, & permultos ex ijs, ac præcipuè Rogerum VVoodoſium, equeſtris ordinis virũ, omni verborũ contumelia lacerarunt. In quo ſanè viro violando atque vexando, inauditam illam ſuam atque inſatiabilem animi crudelitatem exercuerunt.

His igitur de cauſis placuit denuò experiri poſſentne iam tandem veniæ & impunitatis ſpe, de ſceleris errore deduci. Dimiſſus ad id

ſtatim cum tubicine fecialis, quibus vrbem ingreſsis, obuiam fit protinùs à quadraginta ſeditioſis, qui bini pariter incedentes (erant autem omnes in equis) multo cum plauſu, ingentiq; clamore à porta diui Stephani ad Epiſcopalem perrexerũt. Exin tubicen buccinę cantu ſignum dat, ad quod cùm confertim de colle magni coniuratorũ greges confluxiſſent, citato curſu equites ad illos diuolarunt. Iubent vti vtraque parte viæ ordine directo conſiſterent. In quem cùm ſe è veſtigio retuliſſent, fecialis cum tubicine, ciuitatiſque primores duo, per medios hoſtes progreſsi, magnis vndiq; clamoribus ac vociferationibus excepti ſunt. Nãq; ſinguli capitibus denudatis, vno veluti ore ac conſenſu ad vnũ ferè omnes cõclamarunt: VIVAT EDOVARDVS REX. VIVAT EDOVARDVS REX. Collaudati ob id à feciali & primoribus ciuitatis, atque ordinem quem tenerent vti eundem pauliſper conſeruarent rogati: fecialis cùm eum

eum in modum ducentos quinquaginta ferè passus cõfeciſſet, tandem collis cacumen cõſcẽdit. Ibi ſacris ac ſollemnibus velatus inſignibus, paululùm moratus, (nondum enim Kettus venerat) demùm ita locutus fertur.

Non ignorare illos ex quo primùm ſcelerata arma in patriam cœperunt, quot quantiſq; modis, omni ſtudio, labore, ſollicitudine, Regia Maieſtas eam in curam incubuerit, vti à ſcelerum atrocitate, qua omnia iura diuina atq; humana violauerũt, ad aliquam officij, & ſalutis ſuæ cogitationem, (conuerſis tãdem voluntatibus) traducerentur. Nõ ſemèl tãtũ, ſed ſæpiùs iterùm atq; iterùm, pacis prẽcones, atq; internũtios ad illos miſiſſe, quos tamen deſpectos ſemper, atq; omni affectos ludibrio, deteſtabili furore ac perfidia neglexiſſent. Nunc verò (prô Deũ immortalem) quò ruerent? quò ſe fortunaſq; ſuas exitiabili veſania præcipitarent? quem perfidioſiſsimis furoribus modũ? quem impuriſſimis conſilijs exitum imponerent? Quouſq;

peſti-

« peſtiferis incitati cupiditatibus, quas ſemel a-
« nimos vincendi ſpes falſas atque perinnanes
« imbibiſſent, lætali ſemper vanitate conſecta-
« rentur. Quoùſq; turpiſsimam exitioſæ pro-
« ditionis impietatem, ementitis verborum ti-
« tulis, condecorarent. Quoùſque horribiles
« impuritates, atq; nequitias, fallaciſsimis vir-
« tutum integumentis inuoluerent. Quoùſq;
« deniq;, earum rerum, fatali deſyderio tene-
« rentur, quas ſi aſſequi liceret, atque indipiſci,
« totius continuò Reipublicæ interitus, longè
« acerbiſsimus, atq; luctuoſiſsimus accideret.
« Quin potiùs iã tandẽ circũſpicerẽt pauliſper,
« atq; animũ, mentemq; adhiberent, REM-
« QVE ſuam PVBLICAM, (de qua
« omni in ſermone non perinſulſè minùs, quã
« nefariè, impieq; gloriari ſolerent) intentiori-
« bus oculis acerrimè cõtemplarentur. Enim-
« uerò tũ facilimè perſpici poſſe, fideleſne ſub-
« diti ſint, & bonorum ciuium nomine digni,
« qui contra maieſtatem Regiam hoſtilia ar-
« ma induerint: qui deſpicatiſsimorum homi-

num

num,flagitioſiſsimos greges cõflauerint:qui ,,
patriæ(cõmuni omnium parenti) impias, ,,
atq; ſacrilegas manus intulerint : qui plebis ,,
fecem,& mortalium viliſsimos,(omni pænè ,,
ex Anglia excuſſos) in Rempublicam, ad ,,
bonorum interitũ, & regni diſperditionem ,,
immiſerint : qui maximam ornatiſsimæ ci- ,,
uitatis partem acerbiſsimo incendio deleue- ,,
rint: qui permultis fortibus,atque integerri- ,,
mis viris fœdiſsima vincula iniecerint : non- ,,
nullos autem exquiſitiſsimis cruciatos tor- ,,
mentis pernecarint:qui refertiſsimas domus ,,
penitùs exhauſerint, vicinaſq; villulas com- ,,
pilarint : qui multorũ(nuper diuitum,nunc ,,
autem illorum immanitate, miſerorum atq; ,,
egentium) fortunas,ad ſe, in ſua nefanda ca- ,,
ſtra funeſto latrocinio tranſtulerint : qui fal- ,,
ſas leges,falſas literas, falſa diplomata, Regis ,,
nomine cõfinxerint: qui templa Dei optimi ,,
maximi profanauerint : priuatorum homi- ,,
num domus proſtrauerint, agros circum- ,,
quàque perculerint,& afflixerint : qui cogi- ,,

« tationes omnes, ſtudia, conatus, ad depopu-
« lationes, cædes, vaſtationes, incendia, rapi-
« naſq; cõuerterint: qui deniq; nihil ſupereſſe
« ſiuerint, quo progredi longiùs poſſet furoris
« rabies & amentia, quin id totũ, aut profun-
« diſsimæ libidines abſorpſerint, aut importu-
« nitates tæterrimæ diſsipauerint. His cùm ſe
« tot, tantis, ac tam horrendis, flagitiorũ fœdi-
« tatibus, Deo, Regi, Reiq; publicæ, obſtrictos
« videãt: cumq; iam eum in locũ res ſuas, for-
« tunaſq; omnes, deductas animaduertãt, atq;
« ita planè profligatas, & perditas, peiore vt
« conditione quàm nunc ſunt (ſunt enim pe-
« ſima) ne ſi cupiant quidem, eſſe queant,
« tum ipſi ſecum recordentur, quàm in im-
« menſum malorũ mare præcipites ſeſe deuol-
« uerint: cogitentq;, quid pertimeſcendum ſit
« illis, quorum capitibus ſemper impendeant,
« (quæ vitari certè nullo pacto poterunt) di-
« uini numinis ira, & inuictiſsimus violati in-
« feſtiq; Regis exercitus. Etenim decreuiſſe
« maieſtatẽ ſuã, nõ pati diutiùs hærere hoc tãtũ

malum

malum in viſceribus regni ſui, neque tam fe- „
ram, immanem, & intolerandam audaciam „
vlteriùs impunitam & inultam relinquere. „
Itaque delegiſſe Comitem Varuicenſem, „
(celebris gloriæ, multiſque nominis virum, „
& huic rei à maieſtate ſua præfectum) qui „
illos ferro, igniſque perſequeretur, iuſsiſſeq; „
vti nunquam priùs deſiſteret, quàm hanc il- „
lorum tam tetram & horribilem ſocietatem „
radicitùs excidiſſet. Nihilominùs tantam „
eſſe eius immenſæ bonitatis, atque clemen- „
tiæ magnitudinem, vt quem perditorum fa- „
cinorum (ſi perſeuerarent) vindicem con- „
ſtituerit, eundem quoque (ſi ſecùs fecerint) „
miſericordiæ ſuæ interpretem atque admi- „
niſtrum eſſe voluerit. Quam niſi iam de- „
terioribus poſthabitis conſilijs, amplecte- „
rentur, Varuicenſem per omnia ſacra iu- „
rare, nunquam eam poſthac cuiquam ob- „
latam iri, ſed ſe (ſicuti ſibi à Rege imperatũ „
fuit) omnes eius pernitioſiſsimæ coniura- „
tionis ſocios, ſatellites, miniſtros, adiutores, „

« vt maiestatis regiæ hostes infestissimos fer-
« ro, igniq; persecuturum: neq; antè perse-
« quendi finem facturum, quàm illi qui hoc
« nouo, inaudito, inexpiabili parricidio, cuncta
« polluissent, & se tam infamis scelerum fluctu-
« bus obruissent, meritas Deo, Regiq; pœ-
« nas, debitasq; persoluerint.

Hæc cùm dixisset, etsi multi de rerũ euentu magnoperè solliciti, & quà angore conscientiæ, quà flagitiorum suorum recordatione conuicti, cohorruissent: tamen plærique omnes huic orationi grauiter infensi, ita intimis exarserant sensibus, vt fecialem protinùs clamoribus vndique infestis, maledictisq; « conscinderent. Nonnulli eum proditorem « esse vociferarunt, non à Rege missum, sed à « nobilibus instructum, & subornatum, qui il- « los in fraudem impulsos, verborum blandi- « mentis atque delitijs consopiret, quò facilius « veluti cõnuentes, incauti, & nihil triste for- « midantes, opprimerẽtur. Alij veniam illam « ad speciem quidem præclaram, & magnificã videri,

videri, ſed reuera exitioſam tandem, & lu-„
gubrem futuram, vtpotè quæ nihil aliud„
eſſet, niſi DOLIOLVM CAPI-„
STRIS REFERTVM. Tunicam„
autem illam pictam, auroque diſtinctam &„
illuſtrem, neutiquã eſſe fecialia inſignia, ſed„
quiddam ex Papiſticis conſutum ornamen-„
tis. Multa præterea in illum (peſtilenti ve-„
cordia turbidi atque præcipites) rabidè fu-„
rioſeq; coniecerunt, dum quaquauerſus cũ-„
cti, acerrimis in eum vocibus, & mortem re-„
dolẽtibus, virus acerbitatis ſuæ profunderẽt.„
Nihilominus fecialis illinc cũ Ketto digreſ-„
ſus, alio in loco eadẽ quę ibidem promulgaſ-„
ſet, cæteræ plebi, (namque anteà præ multi-„
tudine omnes audire nequierant) proponit.„

Accidit autem vt prius quàm orationi finẽ impoſuiſſet ſuę, ſceleſtiſsimus puer nates flagitioſiſsimè denudarit: facto inſuper fœdiſſimo, addita ſunt verba fœdiora. Qua indignitate quidam permotus (nam cis flumẽ erant ex noſtris aliquot, qui eò ſpeculatum

venerant) puero fistulæ glande plũbea suprà renes, plagam repentè mortiferam inflixit. Quod coniurati cùm conspexissent, equites duodecim de sylua furiosissimè conclaman-
« tes decurrerũt: Circumuenimur ô socij, nisi
« prouideritis, circumuenimur. Nónne vi-
« detis commilitones nostros coràm trucidari?
« ac tormentis transijci? Quid speremus sparsi
« & inermes, cùm etiam iam armatis vis infe-
« ratur? Enimuerò fecialem nihil aliud cona-
« ri, nisi vt cuncti insidijs circumclusi debilita-
« tiq;, à nobilibus contrucidemur. Hæc cùm
« dixissẽt, dissipati omnes, ac veluti repentino
« furore conciti diffugerunt.

Attamen Kettus feciali se adiunxit, eratq; illi in animo Varuicensẽ coràm affari: iamq; collem pænè Sturtelhensem descenderant, cùm ingens eum seditiosorum caterua clamoribus insecuta, ad vnum omnes vociferari cœperunt. Quonam iret rogãtes? se paratos omnem (quamuis vel acerbissimam) cum illo fortunam subire. Quin si longiùs progredi

progredi perrexiſſet, habituros illos itineris „
etiam comites, ac vitæ neciſque participes. „
Fecialis cùm à tergo tantam hominum con-
ſectãtium vim vidiſſet, Kettum rogabat vti
hos cõcurſus ac tumultus ſedatum retrò cõ-
cederet. Qui cùm ad ſuos ſe retuliſſet, proti-
nùs conticuerunt, cunctiſque cum illo ad ca-
ſtra reuerterunt.

At Varuicẽſis cùm vniuerſos furore quo-
dam, & cęco veluti mentis impetu ad interi-
tum præcipites ferri animaduertiſſet, neque
vllis aut precibus aut pollicitationibus, neq;
porrò ſupplicij denunciatione permoueri,
vti à tã fœdo incœpto abſiſterent, pacis ſpẽ
rem tâm à ſe, quàm ab alijs ſæpiùs fruſtrà
tentatam, in æternũ ſibi dimittendã putauit,
& tandem de bello agendũ. Itaq; confeſtim
ad portas diui Stephani exercitum ducit,
(quas cataractis dimiſsis, perduelles occlu-
ſerant) iuſsitque magiſtros libratorum re-
gios, ita bombardas pro portis locare, vt
ijs deturbatis, atque tormentorum impetu
refractis,

refractis, militi in vrbem aditus præstrueretur. Quæ dum fierent, ab Augustino Stuardo proprætore intelligit, ianuam esse auersam (quam vulgò æneam appellãt) hanc ab illis maximis defixis trabibus, ijsque terra lapidibusque repletis munitam, nihilominùs nullo negotio distrahi atq; perrumpi posse. Munitores accersuntur, ijs imperatũ vti refringant. Effracta porta, per patentem eam nostri primùm in vrbem ingressi, multis interfectis, hostem eo loco facillimè submouerunt. Iamq; tormentariorum præfectus, cataractis discluſis, atq; diruptis, dimidiam ferè portæ partem, frequenti tormentorum ictu quassatam diſiecerat, cùm Northamtonienſis, & Druryus quidam (perſpectæ fortitudinis vir) cum cohortibus ſuis, illàc in vrbem inuolantes, Kettianos iſtinc quoque multo inflicto vulnere, multiſq; trucidatis, è veſtigiò depulerint. Ex altera item parte vrbis, Proprætor perfecit, vti portæ Veſtuicenſes aperirentur, quibus recluſis patefactiſque, Varuicen-

Varuicẽſis omni cum exercitu intromiſſus, reſiſtente pænè nullo, in forum peruenit. Ibi ſexaginta ferè hoſtium deprehenſi, in quos confeſtim militari more animaduerſum eſt. Indicta enim cauſa, omnes protinùs (vt in bello fieri conſueuit) manifeſti ſceleris conuicti, vltimo ſupplicio afficiebantur.

Ac non ita multò poſt, vehicula ac impedimenta omnia, quæ propter tùm ſubuectionum difficultates, tùm frequentes, ac repẽtinas hoſtium incurſiones, aliter importari nequirẽt, per illam quoq; portam in oppidũ introducuntur. Sed accidit (vt fit) calonum temeritate & inſcitia, dum noſtri grauioribus negotijs implicarẽtur, vti ad portam Epiſcopalem Mouſholdiam verſùs, vrbe excederent. Quod ex ſeditioſis quidam conſpicati, miſsis qui auerſos calones adorirentur, noſtros impedimentis omnibus exuerũt. Qui ex hoc incredibiliter gauiſi (nã anteà ab iſtiuſmodi rebus imparatiſsimi fuerũt) carros tormentis, ac puluere ſulphureo,

omniq; militari instrumento onustos, in castra perduxerũt. Sed peroportunè cũ cohorte sua Drurius interuenit, qui (neque tamen omninò sine militũ iactura) vehicula quædã ab hoste recuperauit. Deindè perduelles hoc cõsilij cœperunt, vt in trãsuersis platearũ diuerticulis, cateruatim ex insidijs subsisterẽt: rati nostros incautos, & viarũ insuetos, propter tùm locorũ insolẽtiam, tũ vrbis magnitudinem, celeriter confici posse. Quamobrẽ vicatim distributi, pars ad diui (quẽ vocant) Michaelis, pars ad Simonis, alij ad Petri, nõnulli ad Vymerensem vicum, parati omnes ad præliũ, instructiq; cõstiterunt. Ibi nostros necopinantes adorti, tres vel quattuor generosos, prius quàm quispiam subsidio venire posset, crudelissimè interemerunt. Re cõperta, & in forũ diuulgata, Varuicensis omni cũ exercitu ad hostem submouendũ proficiscitur. Cùm per plateam (quam vulgò Ioannis vocant) ad templum diui Andræi peruenissent, hostes de improuiso magnam sagit-

ſagittarũ vim atq; procellam in noſtros effuderũt. Sed ſagittantibus illis, & terram cœlo miſcere conantibus, denuò cum ſcloppetarijs ſuis, ſũmæ pernicitatis atq; peritiæ iuuenibus, derepentè infert ſe Druryus, tãtamq; viciſsim tormentorũ tempeſtatẽ (grandinis ritu) refundit, puncto vti tẽporis trepidãtes omnes in fugã impulerit. Circiter centũ & triginta interfecti: multiq; dũ in cœmiteria & ſub muros correpſerunt comprehẽſi, & acerbiſsimo ſupplicio affecti fuêre. Cętera omnis colluuies ad caſtra Mouſholdica, velut in ſentinã refluxit. Quibus exhauſtis, ciuitas (quòd tantam peſtẽ euomuiſſet, foraſq; proieciſſet) recreari tandẽ, & magnoperè releuari videbatur.

Seditioſis, itaq; hũc in modũ reiectis, vrbeq; depulſis, *VARVICENSIS* quò oppidũ communitius fieret, muros militibus, rebuſq; ad hoſtem repellẽdum idoneis inſtruxit: iuſſitq; vti protinùs cunctis in vijs armati collocarentur, omneſq; aditus in vrbem, portæq;

(extra vnã aut alteram) obſtruerẽtur. Nãq; per illas noſtri magnam tormentorum multitudinem deuexerũnt, quæ parata inibi ſtabãt & inſtructa, quò poſtridiè Mouſholdiam deportarentur. Sedenim Kettiani rati noſtros magna pulueris ſulphurei, cæterarumq; rerũ omnium (quibus tormenta exerceri ſolent) penuria laborare: videnteſq; inſuper ad impedimenta & vehicula paſsim ſtare ex noſtris quoſdam (erant autem VValli) quos tùm propter paucitatem (nec enim multi erant & incompoſiti) tũ quòd de ſuperiore loco decurrentium impetus, ſuſtinere nequaq; poſſe videbantur) magnoperè deſpexerunt oblatã ſibi perinſignem rei benè gerendę facultatem exiſtimarũnt. Itaque dum *Varvicenſes*, quà ab vrbis defenſione, quà à cęteris rebus diſtentiſſimi, maioribus curis impedirẽtur, Milo quidam, vir (vt videbatur) audaciſsimus, & pilarum eiaculandarum peritiſsimus, oportunitatem eius facinoris, tempuſq; diligẽter aucupans, Præfectum libratorum regium tormẽti glande

glãde tranſſixit. Quem illi exanimem cõſpicati, pars nudi & inermes, pars baculis, clauis, ac bidentibus inſtructi, phanatico veluti curſu inſtincti, de colle in noſtros impetum fecêre. Ne primã quidẽ impreſsionis procellam tulerunt (tantus omni ex parte terror fuit, & tã necopinata hoſtium vis) ſed incõdîtis vlulatibus & ſtrepitu horriſono obſtupefacti, perterritiq; (impedimẽtis omnibus carriſq; relictis atq; deſertis) magno cum clamore curſuq; vndiq; fugæ ſe mandarûnt. A pluribus itaq; paucis hũc in modum diſpulſis atq; fugatis, ſeditioſi tormenta quædam quæ inibi deprehenderunt, carroſq; cunctis rebus quæ bello vſui forẽt onuſtos (priuſq̃ auxilio à noſtris veniri poſſet) in caſtra comportarunt. Quæ ſanè res peraduerſa noſtris & incõmoda fuit. Nam præterq̃ quòd inſtrumẽti militaris quo ſe hoſtis inſtruxit poſteà indiguerint: Kettiani libratores, pilis ferreis, quæ è bombardis, & tormentis quæ ceperunt, in noſtros creberrimæ infenſiſsimæq; torquebantur, vr-

bem vehementer afflixêre. Multiſq; interfectis, tormentorumq; rabie laceratis, atque diſcerptis, hoc inſuper addidêre ſceleris & nequitiæ, magnam vti muri partem, turrimque quæ in ſummo Epiſcopalis conſtiterat portæ, furioſiſsimè deturbarẽt. Quanq; certè (diuini numinis clementia) ea tùm populi Norvicẽſis fortuna fuit, vt circumuolitantes tormentorum pilæ, ſiue caſu, ſiue conſilio, ſiue (quod magis reor) collibrãtium (vt interdũ accidit) temeritate, & inſcitia altiùs emiſſæ, domuum tecta ſine damno, præteruolauerint. Quæ res vtiq; niſi contigiſſet, ab impuriſsimis latronibus, deterrimiſque, continenti tormentorum impetu ædificijs vndiq; diſiectis atq; deterſis, maximæ vrbis partes, leui momento cõſtratæ, æquatæq; ſolo concidiſſent. Atquî equidem procul dubiò detrimẽtum opinione omnium maius publicis rebus eo die importatum fuiſſet, ſi Druryus, virtute ſua, & haud contemnenda militum ſtrage, hoc incõmodo expiato, hoſtibus profligatis atque repulſis, maximam eorum quę tùm auerterũt, partem

non

non præripuiſſet.

Varuicenſis poſt hæc, quarundam portarum ingreſsibus concîſis, atque aggere obſeptis, in pontibus & vicorum flexionibus, ac diuerticulis, diuerſa ſuorum præſidia diſponit, magnamque armatorum manum ad portam Epiſcopalem conſtituit, cui Dominum VVylloughbæum prefecit: ſicque omnia milite circumſepſit, atq; muniuit, vt ea nocte hoſti introitum in vrbem, vndique præcluſerit.

Poſtero tamen die, ſeditioſi flumen tranſgreſsi, circa locum quendam quem Counſforth appellant, incendio terribili, & ad aſpectũ ſanè perlugubri cuncta permiſcẽt. Nam omnibus duarum paroeciarũ ædificijs exuſtis, ignis ita latè ſe diffudit, vt vicina plæraq; loca horribili flamma comprehẽderet. Domus erat quædã in qua Mercatores Noruicẽſes, ea quę Yarmoutho deuexiſſent, deponere cõſueuerũt: huic ignis illatus, quo momẽto temporis domus ipſa, vnàq; maximus frumenti

frumenti numerus, multæq; honestissimorum negotiatorum fortunæ concrematæ, deflagrauerunt.

Fama est (neque absonum fidei videtur) decreuisse illos totam vrbem incendio delere: atq; eo consilio quibusdam tectis ignem iniecisse, quò videlicet vniuersi ad ardentes domus discurrentes, seditiosi eodem tẽporis puncto, portis omnibus inundantes, nostros dissipatos, & mutuo intercluſos auxilio, hinc flamma, illinc ferro constringerent. Id prudenter animaduersum, & hostium conatus fefellit, & nostros eam in sententiam adduxit, vt ignem passim per tecta, populabunda velocitate grassantem, vagari sinerent, neq; orientem eum quamprimùm restingueret.

Veruntamẽ cùm nostris ista hunc in modum omni ex parte infœliciter accidissent, calamitates alias super alias perpetuò accumulãte fortuna, multorũ animos ingens stupor ac mœstitia defixit, adeò vt desperatione ac timore langueſcentes (deficiente iam

ad

ad omnia consilio) pænè succũberent. Hij Varuicẽsem adeũt, demõstrãt vrbẽ esse magnam, portas omnes aut fractas, aut exustas, summã propugnantiũ paucitatem, hostium verò copias ingentes, defendi non posse, rogãt enixè vti saluti consulat, ciuitatem relinquat, néue rem in summum discrimẽ deduci sinat. Varuicensis (vt erat corde semper excelso sanè, & inuicto, tũ acer, & vehemens in ferro vir, omnisq; insolens infamiæ) Quin igitur (inquit) tam citò animis concidistis? Tantáne derepentè offusa menti caligo, virtutis aciẽ perstrinxit, vt hoc aut vos velitis, aut me viuo fieri posse arbitremini? Ego vt vrbem relinquam? prius ferrum, prius flãma, prius deniq; omnia, quàm tantam mihi, vobísue ignominiæ aut dedecoris labem aspersérim.

His dictis, gladiũ distrinxit, fecêre idem & cæteri nobiles (aderant enim frequentissimi) iussitque vti alter alterius ensi (militari more in maximis periculis interdũ hoc fieri

consueuit) osculum & sacræ crucis signum imprimerent, & iureiurando, sanctoq; fœdere conceptis verbis vniuersi se deuincirent, nō prius istinc discessuros, q̃ aut hostem funditus profligauissent, aut vitā pro Regia maiestate dimicantes fortiter profudissent.

Dum hęc fierent, seditiosi alia ex parte oppidi, qua nostri illos minimè ingressuros rebantur, in vrbem perrumpunt, sed cùm iam pęnè ad pontes peruenissent, à nostris celeriter occursum est, multisq; cædibus vulneribusq; repulsi, fuga quà intrarunt præcipites se effundunt. At Varuicēsis, quò hanc hosti vrbis adeundę potestatē penitus præriperet, iussit omnes pōtes quaquàuersus interscindi. Posteà verò quibusdā de causis secus imperatū: isq; tantum qui vulgò Carmelitarū dicitur interruptus: cæteris omnibus perstrenui milites præsidio impositi, cunctaq; loca, & pręcipuè portę, quod illę maxima ex parte omnes, aut prostratę cōcidissent, aut incēsæ deflagrassēt, hominibus impigerrimis, &

in

in militari re exercitatiſsimis, tuẽdę ad quoſ-
uis repẽtinos caſus trãſditę. Vndè adeò factũ
eſt, vt improuiſi, atq; nocturni hoſtiũ impe-
tus, omnes omniũ caſsi, & inanes exſtiterint.

Poſtridiè eius diei (is fuit. a.d. VII. Kalen.
Septemb.) Heluetiorum mille quadraginta
peracres (vt vulgus hominum exiſtimabat)
bellatores & egregij, Lõdino ad Varuicẽſẽ
venêre. Hij lætis acclamationibus à noſtris
ſuſcepti ſunt, qui multis tormentorũ bombis
gaudiũ atq; alacritatẽ ſignificarûnt ſuã. De-
mùm per vicos domuſq; diuiſi, & à ciuibus
perliberaliter perq; benignè accepti inuita-
tiq;, vt noſtrorũ animos exſultãtes, & rei be-
ne gerẽdę fiducia ſubnixos ad certã ſpẽ ere-
xerũt, ſic hoſtiũ mentes, noua iã cõfuſas for-
midine, conſternataſq;, ad haud dubiam fu-
turi interitus cogitationem depreſſerunt.
Intereà verò ſeditioſi, nihil aliud niſi bonorũ
omniũ ſanguinẽ exſorbere cupiẽtes (cuius iã
ſpẽ aliquã auidiſsimis imbiberant animis) in
eo rem totã verti exiſtimarûnt, ſi Varuicẽſis

copię, primo quoquo tẽpore profligarentur. Et certè ſicut Deum optimũ maximum deſeruerunt, ſic ab illo ſpreti viciſsim, abiectiq;, diabolo ſeſe conſtringendos dediderunt. Hic anili ſuperſtitione mentes imbuerat, perfecitque vti cæcis ariolorum ineptijs impliciti, vicinam quandam cõuallem veluti huic fatalem bello deligerent.

Quanquã equidem (ſicuti memoriæ proditum eſt) non defuêre portẽta, & manifeſta diuini furoris indicia. Namq; anguis ex columna lignea in gremium vxoris Ketti dilapſus, non tam multorum pectora terribili pauore perculerat, quàm Kettum ipſum anxijs impleuerat curis. Sed hîc forſan operæpretium erit referre, quàm futili opinionis errore inflati, ſeſe ad exitioſa deuoluerint, cùm quæ reuerà iram & vindictam, (vti videbatur) diuinam portenderunt, væcordi feritate atq; pertinacia tumentes, vni-
« uerſi neglexerint. Tãtam certè noctem hu-
« manæ menti diabolus offundere conſueuit,

quoties

quoties eam ſcelere demerſam conſpexerit. „
Etenim cùm multa eſſent vaticinationũ de-
liramenta in vulgus relata, ex quibus neſcio
quam victoriolæ ſpem exſuxerant : incon-
dîtos tamẽ quoſdam & inſulſos verſus (ſtul-
tæ animorum truculentiæ indices) præ cæ-
teris omnibus amplexi ſunt. Qui cũ crebris
quotidiè ſermonibus vſurparentur (falſi ſi-
quidem vates ſingulis pænè momentis hu-
iuſcemodi ineptias auribus inſtillarunt ſuis)
res erat exempli poſt natos homines planè
inauditi, quæque omnem exſuperet fidem,
quemadmodum ad eorum mentionem fu-
ribundos ſenſus incitarînt animaduertere:
tùm quanta & quàm inani lætitia geſtierint,
intueri. Perindè ac ſi illis vnis verſibus certa
ſibi ſalus & victoria, noſtris autem interitus,
& miſerabiles fortunarum omnium ruinæ
portenderentur.

Hïj autem erant iſtiuſmodi:

The cũtry gnowes, Hob, Dick, & Hick, with clubs and clouted ſhoon,
Shall fill vp Dullyn dale with ſlaughtered bodies ſoon.

Quos nos (vt potuimus) Latino ſermone expreſsimus,

Ruſtica plebs clauis, & agreſti induta perone,
Duſſoni vallem miſeranda ſtrage replebunt.

Hij cũ quotidiè & (vt ſuprà dictũ eſt) vbiq; decãtarentur, ſceleratiſsimorũ hominũ mẽtibus, id veneni dæmon infudit, vt ambiguo falſi, fortunę loci, ſpes ſuas delegare decreuerint. Itaque omnibus ſcelerũ ſuorũ latibulis atq; ſpeluncis (quas paſsim ex ligno ipſimet ſibi cõſtruxerãt) incẽſis (adeò vt fumus è tot ſimul diſtantibus locis ortus, toti pænè cœlo veluti noctem induceret, ſubiectaſq; planities atra caligine integeret) indè in vallem Duſſonenſem cum vexillis, ac ſignis militaribus viginti perrexerunt. Tanta erat ſeditioſorum prædæ ſpe, impunitateque allecta multitudo. Ibi omnia conari, atque moliri cœperunt, quò noſtris aditum, & negotij conficiendi ſpem adimerent: adeò vt momento temporis vallo, aggere, munimentiſq; ſe circũſepſerint, foſſas vijs tranſ-

uerſas

uersas perduxerint, itineraq; omnia sudibus stipitibusq; in terram defixis intercluserint.

Hæc cùm Varuicensis intellexisset, statuit & ipse quoque belli fortunam periclitari vt quos lenitate ac patientia frangere nõ potuerit, eos vi & armis superaret. Insequẽti itaq; die (is fuit. a.d. VI. Kalend. Septemb.) instructo exercitu per portam Costlinienſem cõtra hostem iter ingreditur. Adiunxerant se comiti Marchio Northamtonienſis, VVylloughbæus, Poijsius, Braijus, Ambrosius Dudleyus Varuicensis filius, & prætereà nobilium, ac fortissimorum virorum cohortes lectissimæ.

Priùs tamen quàm in hostiũ cõspectũ veniretur, Edmundũ Knyuettũ, & Thomam Palmerium, equites ex aula perilluſtres, atque alteros totidem scisitatum dimittit, vellentne nunc demum furores deponere suos, & sceleris, crudelitatis, perfidiæ, belli deniq; contra patriam faciendi consilia abijcere. Tantam esse nimirum & tam incredibilem bonita-

bonitatis atq; clementiæ Regiæ magnitudinem, vt quamuis impietate pænè indelebili maiestatem ipsius, dignitatemq; polluissent, seseque sempiternis turpitudinum notis maculisque conspersissent : admissorum nihilo tamen seciùs facinorum veniam pacemque semel iterùm cūctis (vno aut altero excepto) denuntiari iusserit : dummodò ex hoc cursu malignitatis atque nequitiæ iter iam tandem (pœnitentia ducti) ad obsequium tranquillitatemq; conuerterint. Sin verò in amentia peruersè, atq; impiè persistere decreuissent, extremaque omnia experiri, nunc demùm adesse scirent, malè sanæ leuitatis atq; perfidiæ pœnas suæ : ipsumq; Varuicensem, quãquam ferum, certum tamen, tam nefandæ coniurationis vindicem. Hijs hoc vnum, idque ferocissimè ab omnibus responsum : SE NOLLE.

Quibus ad Varuicensem relatis, non longiori oratione milites peracri iam pugnę desyderio deflagrantes, cohortatus est, quàm

Vti

vti fortiter hoſtem inuaderent, nèue pertur- „
barentur animo, ſed eam quam conſpicerẽt „
ſeditioſorum multitudinem, non homines, „
ſed feras, omni diritate prędas exiſtimarẽt. „
Nec ſe ad pugnam, ſed ad pœnam veniſſe „
arbitrarentur, eam confeſtim à flagitioſiſsi- „
mis latronibus depoſcerent, peſtem patriæ, „
pietatis atq; officij ſtragem, belluas denique „
truculentiſsimas, maieſtatiq́ue regiæ feritate „
inſanabili reluctantes, proſternerent, afflige- „
rent, delerẽt. His dictis, quia nõ longiùs ho- „
ſtes aberãt, q̃ quò glans è tormento propelli
poſſet, prælij committẽdi ſignũ dat. At Ket-
tiani noſtros contra ſe venientes conſpicati,
ſuos ita inſtruxerũt, omnes vti nobiles quos
damnatorum more catenatos, duriſsimiſq;
vinctos compedibus ſecũ duxerunt, in pri-
ma acie locarint. Id eo conſilio factum, quò
noſtri, à noſtris interficerentur. Sed Dei im-
mortalis numine & incredibili militum vir-
tute contigit, vt (ſecus quàm hoſtes volebãt)
omnes pęnè incolumes euaſerint. Milo ſi-

quidem (hunc modò Kettianum librato-
rem esse diximus , artisque tormentariæ
scientissimum) ferrea pila , regio vexilli-
fero fœmur percussit : quæ per equi hume-
rum, quo is vectus fortè incedebat, altiùs
adacta , ipsum quoque equum , eodem
vulnere transuerberauit. Id nostri indignè
ferentes, disploſis vicissim tormentis, horri-
bilique pilarum procella in hostes effusa,
ordines perrumpunt . Quibus continuò
impulsis, atque perturbatis, omnes nobi-
les qui in prima fronte constiterunt, fugiē-
tes , belli tempestatem deuitarunt. Etenim
nostri equites, postquàm hostes crebris tor-
mentorum,sclopetorumque traiectibus dis-
pulsos fugatosque conspexerunt,subitò om-
nibus copijs prouolarunt, impetumque in
illos fecerunt , quem tantum afuit illi vti
sustinuerint, pecorum vt instar, promis-
cuè, citato cursu , cuncti præcipites in
fugam proruerint. Cæterùm cùm ex in-
sequentium strepitu , atque clamore , in
vltima

vltima iam perfidiæ obſtinatione, feroces ac præferuidæ mentes, tacitas neſcio quas odij atque doloris flammas corripuiſſent: (velut feræ) ex deſperatione & ſcelerum memoria, in rabiem verſi, è fuga ſe repentè conuertentes exitiabili peruicacia, noſtris aliquandiù reſtiterunt. Veruntamen tantus fuit pilarum vis, tantuſque noſtrorum hominum (qui victoriæ perauidi effrenatiùs in aciem hoſtium perruperant) irruentium ardor, vt Kettianæ cohortes vndique acri impetu, pulſæ, protritæque, nullo pænè negotio loco pellerentur. Itaque Kettus, vti dux in ſcelere ſtrenuus, ita Imperator in bello ignauus, vbi aduerſa omnia vidiſſet, ordines interrumpi, ſuos diſijci, noſtros infeſtos inferri, neque ſalutis, neque præſidij vllam ſpem, animo varius, & immanium facinorum conſcientia exæſtuans, fugæ ſe mandans, clàm ſuis pugna exceſsit.

Ea res vtiq;, poſtquàm cognitum eſt, ducem è prælio profugiſſe, incredibiliter hoſti animos minuit, tantumque breui temporis momento perfecit, vti omnis ille ardens nuper, ac vehemens repugnandi feruor, protinus ad tam necopinatæ fugæ famam elangueſcens refrixerit. Quamobrem primùm murmur, & tacitæ querelæ, poſt clamor, ad extremùm verò vndique fuga fieri cœpta. Effuſos noſtri equites perceleriter inſecuti, ſtragem ingentem dederunt. Namq; ad tria millia quingenta cæſi, & fauciorum magnus numerus, cùm omni ex parte diſsipati, aut vulnerarentur, aut trucidarẽtur. Quod quidã è ſeditioſis animaduertentes, ſublata omni prorſùs, vti rebantur, veniæ ſpe, efferatos iam multis ĩmanibus factis animos, ad maiora inuicem in ea deſperatione ſalutis ſcelera exacuerunt. Itaque peruicaci audacia cõfertim è fuga ſe recipientes, prælium redin-
« tegrare decreuerunt: prædicantes, malle ſe
« fortiter dimicantes occumbere, quàm fugi-
entes

entes (pecudum ritu) contrucidari. Porrò vbi se telis, alijsque rebus (quæ humi passim inter aceruos cæsorum corporum stratæ iacebant) instruxissent, & verua, sudes, stipites q; præacutas solo infixissent, fidem astrinxêre, aut illîc se vitam viriliter proiecturos, aut victoriæ demũ compotes futuros. Itaq; cùm alter alteri propinassent (ominis id erat instar, & signũ animarum morti deuotarũ) precibus votisq; solemni more susceptis, ad pugnam se confirmant.

Varuicensis re intellecta, fecialem mittit, monet vti arma deponant, impunè fore si fecerint, secùs omnes ad vnũ interituros. Respondent perlibenter se ab armis discessuros, si scirent illam impunitatem sibi salutarẽ futuram, sed animaduertere in suæ societatis homines vndiq; sæuiri, id adeò indicio esse, mentionem hanc veniæ à nobilibus insidiosissimè inductã, nimirùm quò falsa & perinani clementiæ spe (veluti laqueis) circunretiti tandem atque deuincti, ad cruciatum

omnes, & cædem conſtringerentur. Et reuerà quicquid illi præ ſe ferant, ſcire ſe tamẽ perq; bellè intelligere, veniam eam nihil aliud eſſe, quàm DOLIOLVM RESTIBVS & CAPISTRIS REFERTVM. Proin mori decreuiſſe.

His relatis, Varuicenſis ingemuiſſe dicitur turbæ iamiam perituræ, atq; commiſeratione ductus, denuò miſiſſe qui ſciſcitarentur: Num ſi ipſe veniret, & coràm fidem obligaret ſuam, arma abiecturi forent. Conclamant omnes, id ſi fecerit, fidem habituros, & regis ſe arbitrio, poteſtatiq́ue permiſſuros.

Nec mora: Varuicenſis protinus ad illos pergit: fecialem publicè litteras regias legere iubet, quibus recitatis (quòd eæ veniã omnibus perſanctè pollicerẽtur) ijs cõfiſi, arma abijciũt, cunctiq; vno veluti ore gratulabũdi exclamant, VIVAT EDOVARDVS REX. VIVAT EDOVARDVS REX. Atque ita multi mortales,

mortales, velut è fati faucibus erẽpti, Varuicenſis prudentia ac miſericordia conſeruati ſunt. Confecto prælio, præda omnis eodem die militi permiſſa, atq; Norwici publicè in foro diuendita.

Illud inſuper memorię proditũ eſt, nobiles complures, ac primores etiã aliquot ciuitatis, in ipſo tumultu & ardore pugnæ tranſfoſſos, etſi ingentem pecuniam, magnaq́ue munera militibus dediſſent, quò ſuę vitæ, incolumitatiq́ue proſpiceretur.

Poſtero die quorũdam hominum nuntijs ad Varuicenſem perfertur, Kettum dum equus labore langueſcens fortè (vt fit) itineri ſuccubuiſſet, fugæ pertæſum in horreum correpſiſſe. Illic à duobus ſeruulis cuiuſdam Richeſij de Swannington comprehenſum, domumq́ue illius deductum aſſeruari. Miſsi protinus equites viginti, qui illum ibidem in ſordibus, lamentis, luctuq́ue iacentem offendentes, exſanguem metu, ac vitæ diffidentem, deſperantemq́ue ſuæ,

vinctum

omnes, & cædem conſtringerentur. Et reuerà quicquid illi præ ſe ferant, ſcire ſe tamẽ perq; bellè intelligere, veniam eam nihil aliud eſſe, quàm DOLIOLVM RESTIBVS & CAPISTRIS REFERTVM. Proin mori decreuiſſe.

His relatis, Varuicenſis ingemuiſſe dicitur turbæ iamiam perituræ, atq; commiſeratione ductus, denuò miſiſſe qui ſciſcitarentur: Num ſi ipſe veniret, & coràm fidem obligaret ſuam, arma abiecturi forent. Conclamant omnes, id ſi fecerit, fidem habituros, & regis ſe arbitrio, poteſtatiq́ue permiſſuros.

Nec mora: Varuicenſis protinus ad illos pergit: fecialem publicè litteras regias legere iubet, quibus recitatis (quòd eæ veniã omnibus perſanctè pollicerẽtur) ijs cõfiſi, arma abijciũt, cunctiq; vno veluti ore gratulabũdi exclamant, VIVAT EDOVARDVS REX. VIVAT EDOVARDVS REX. Atque ita multi mortales,

mortales, velut è fati faucibus erẽpti, Varuicenſis prudentia ac miſericordia conſeruati ſunt. Confecto prælio, præda omnis eodem die militi permiſſa, atq; Norwici publicè in foro diuendita.

Illud inſuper memorię proditũ eſt, nobiles complures, ac primores etiã aliquot ciuitatis, in ipſo tumultu & ardore pugnæ tranſfoſſos, etſi ingentem pecuniam, magnaq́ue munera militibus dediſſent, quò ſuę vitæ, incolumitatiq́ue proſpiceretur.

Poſtero die quorũdam hominum nuntijs ad Varuicenſem perfertur, Kettum dum equus labore langueſcens fortè (vt fit) itineri ſuccubuiſſet, fugæ pertæſum in horreum correpſiſſe. Illic à duobus ſeruulis cuiuſdam Richeſij de Swannington comprehenſum, domumq́ue illius deductum aſſeruari. Miſsi protinus equites viginti, qui illum ibidem in ſordibus, lamentis, luctuq́ue iacentem offendentes, exſanguem metu, ac vitæ diffidentem, deſperantemq́ue ſuæ,

vinctum

vinctum Norwicum pertraxerunt.

Eodem die iudicia exerceri cœpta, quæſtioneſq; de ijs qui coniuraſſent habitæ in caſtello, multiq́ue mortales patibulis ſuffixi, acerbiſsimo cruciati ſupplicio, necatiq́; fuêre. Dein nouem, qui eius tumultus anteſignani & principes exſtiterunt, de Reformatoria Quercu ſuſpenſi: complures item eorum affines facinorum in crucem ſublati: ijs (inciſa protinùs reſti) in terram dilapſis, (ſunt hæc apud noſtrates proditorũ ſupplicia) abſciſſa primùm quæ procreandi cauſa affinxit natura, tùm viſcera viuis extracta, & in ignem iniecta, caput amputatum, idq́; fixum in pilo, & in turris faſtigio defixum, reliquũ corpus in quattuor partes laceratum atq; diſſectum, eaq́; totidem in locis ſparſæ, atque ad terrorem omnibus propoſitæ.

Verumenimuerò agreſtibus hunc in modum deletis, permulti nobiles iracundia & vlciſcendi ſtudio vehementiùs incitati, animum Varuicenſis ad crudelitatem incẽdere cona-

conabantur. Qui non paucorum precibus co-
tenti, volebant omnem penitus stirpem sce-
leratam exscindi: adeoq; acres in eo fuerũt,
& peracerbi, vti Varuicẽsem coegerint pa-
làm ad illos hac oratione vti. Adhibendum »
esse modum: eum ne fortè in puniendo ex- »
cederent, in primis cauendum. Scire se ma- »
leficia eiusmodi acerrimè vindicari debere, »
& atrocissimo supplicio cõstringi. Sed quo- »
usq; progrederẽtur? ecquid semper sese im- »
placabiles inexpiabilesq; præberent? nullum »
deprecationi, nullum veniæ, nullum miseri- »
cordiæ locum relinquerẽt? An essent & ipsi »
agricolæ futuri, & terrã aratris perstricturi? »
Hæc oratio vindictæ cupiditatẽ magnoperè
sedauit, perfecitq; vt multi qui anteà ad im-
manitatem toti exarserant, postea tamen ad-
uersùs miseram plebeculam longè humani-
ores exstiterint. Sub noctem trucidatorum
cadauera sepulta sunt, ne ex tabe corporum,
lues morbiue progignerentur.

Postridiè eius diei (inciderat is dies in ante

V. diem

diem. IIII. Kalendas Septemb.) præclarissimus, ac in summa sapientia & fortitudine illustrissimus princeps Varuicensis, vnà cum cæteris omnibus nobilibus ingentiq; nõ virorũ modò, sed etiam fœminarum omnium generum, ætatũ, ordinum turba, templũ diui Petri ingressus est: ibiq; Deo optimo maximo gratiæ actæ, & ob rem peregregiè gestã supplicationes habitę. Quibus peractis, cum omni comitatu vrbe excesit.

At ciues superfundenti se lætitia, vno consensu omnes Varuicensem in cœlũ laudibus efferre, de illo omnia bona prędicare, plausibus, hilaritatibus, gratulationibus, implere, miscereq; omnia, magificentissimisq; verbis tanti ducis famam, tãtæ virtutis memoriam cõcelebrare, vitã suam, cõiugum, liberorũq; animas, fortunas deniq; vniuersas, illius dũtaxat prudentiæ, fœlicitati, fortitudini acceptas referre. Statuerunt prætereà, ad notam, & ignominiam illorũ temporũ sempiternã, vti eo ipso quo hostes fusi sunt die, cuncti tẽpla

pla adirent: ibiq; preces à ſacrorum miniſtris ſollenni inſtauratæ ritu, quotannis celebrarentur. Quibus de more ſuſceptis, decreuerunt inſuper concionem in publico fieri, ad quam vniuerſi conuenirẽt. Quæ cõſuetudo ex huiuſcemodi introducta principio, etiam ad hæc quoque tempora permanauit.

Sedenim horum omnium ſcelerum ſignifer Kettus, Londinum vnà cum Gulielmo Ketto, homine plurimis flagitiorum turpitudinibus infami, fratriq; ſuo, (non tam ſanguinis communione, quàm morũ importunitate, & perditiſsimis vitæ rationibus coniuncto) pertractus eſt: atque in turrim Londinenſem coniectus.

Interiectis autem aliquot diebus, etſi manifeſtę perduellionis cõuicti, & omniũ iudicijs ignominijſq; cõſciſsi, flagitiorũ ſuorũ conſcientia conciderint, tamen ad Iudicũ ſubſellia traducti, more maiorũ quæſtio de ijs habita eſt. Cõdemnati ducũtur Norwicum alter, alter VVindamiam, vbi de vtriſq; ſuppliciũ

sumtum fuit. Etenim Roberto Ketto Norwici in castello catenę iniectę sunt, collumq́; in laqueum insertū, atq; ita de terra viuus in crucem sublatus, ad diuturnam tanti sceleris memoriam pepēdit: donec infœlix & triste cadauer, turpi tandem dilapsum tabo defluxisset. Gulielmus autem Kettus, VVindamiæ vndè omnes illi furores velut â fōte redundarunt (namq; inibi ambo habitauerūt) consimili mortis genere excruciatus interijt.

Atq; hunc in modum ciuitas, omnisque regio Norfolciensis (cùm ad sexaginta ferè dies, hęc impura & mortifera perfidię pestis ad multorum perniciem & interitum peruagata, cuncta lamentabili clade concussisset) Dei tādem optimi maximi benignitate, & Varuicensis præcellentissimi principis admirabili virtute, hoc tam funesto ac lugubri perfuncta tumultu, conquieuit.

FINIS.

ALEXANDRI NEVYLLI ANGLI,

NORVICVS.

LONDINI,
Ex officina Henrici Binne-
mani Typographi.
Anno salutis humanæ
CIↃ.IↃ.LXXV.



Lectori.

NEME (LECTOR optime) existimes vel famæ desiderio (quo sanè nõ conficior) vel præmij inuitatum & illectum spe, (quod nunquam concupiui) ad scribendum accessisse. Enimuerò non sum ita mentis inops, ita omnis consilij egenus, vt in hac tanta mea velieruditionis, vel ingenij mediocritate, vel huus peruersissimi seculi maledicendi libidine (nam quæ tempora inimica magis virtuti?) vllam aut laudem, aut lucrum exspectem. Vidi equidem vidi, & longè antè præsaga mens atq; præscia futuri prospexit, fore vt hic labor meus non meo certè (quod quidam forsan suspicabuntur) iudicio, sed alieno susceptus imperio, in popularis inuidiæ procellas, & varias maleuolorum reprehensiones incurreret. Sed ego is sum, qui sicuti doctorum atq; prudentiũ

 iudicia

iudicia permagni ſemper ad laudem & decus intereſſe putarîm , ita inſipientium perpetuò ſuſurros ac murmura neglexerim.

Et verò niſi præſtantiſsimi & optimè de me meriti præſulis authoritas , quæ mihi iſtius operis aggrediendi cupiditatem iniecerat, eadem perficiendi quoque neceſsitatem impoſuiſſet, (ſiquidem moriens vti liber typis quàmprimum peruulgaretur teſtamento cauerat) citius (mihi crede) in cribro ad Antipodes pernauigaſſem , quàm in re tam ſterili, atque pertenui vel induſtriæ meæ vel ingenij neruos intendiſſem.

Porrò autem cùm animo ob eas vitæ acerbitates atque ærumnas quas in me ſimul vno eodemq; tempore quaſi conflauerat atque profuderat fortuna incredibiliter angerer: omneſq; mihi vndiq; venti reflauiſſent , quò aſpirare mens mea tantis malorum mõtibus circumcluſa potuerit certè non reperio.

AD HÆC accedit, cùm neq; ingenio, (quod mihi quidem minus quàm mediocre

eſt)

est) neq; arte aut studio dicẽdi (quibus in rebus aut nihil, aut non multum sanè temporis impendi) neq; vsu & exercitatione quicquã valerem, ecquid mirum si cogitationes & spes meæ vniuersæ, tantis difficultatibus depressæ funditùs concidissent? Quibus cum rebus omnibus ab omni prorsus scriptione deterrerer: ægerrimè passus sum ijs me litteris atque laboribus inuolui, quæ plus mihi dedecoris viderẽtur & molestiæ, quàm splẽdoris aut emolumenti allaturi. Quid enim mea intẽrerat, qui qualesuè fuerint Noruicenses, vndè orti, quibus primùm vrbs auspicijs nata, quibus deinceps aucta, quos curia Prætores, quos habuerit Ecclesia Pontifices? quæ omnia etsi ad legendum alijs vtilia videbuntur, & fortassis non ingrata, (neque enim contrà disputo) mihi tamen ad scribendum permolesta sanè atque periniucunda fuêre?

Veruntamen clarissimi (vt anteà dixi) & sapientissimi Antistitis voluntati obtempe-

randum fuit. Cuius cùm animus multum se & aßiduè in huiuscemodi rebus inuestigandis peruolueret quid facere potuit abstrusissimæ cognitionis, & perreconditæ pontifex vel ad nostram vtilitatem præstabilius, vel ad nominis sui famam præclarius, quàm si eã antiquitatis notitiam, quæ in illius pectore semper vixit (fragilitatis cõscius humanæ) nobis (æternis literarum monumentis custodiendam) relinqueret?

Cæterùm quot capita (vt ait ille Orator omnium maximus) tot sensus. Nec enim defuturos quosdam arbitror (nam quid peruersius huiuscemodi ingenijs?) qui tam prudentißimi Præsulis studium, quam meam qualis ea cunq; videbitur industriam, improbaturi sint.

Sed tanti est apud me (Lector humanißime) leuißimorũ hominum ineptias & maledicta subire, (quem enim illi mortalium maledicentiæ spiculis non confixêre?) dùm modò doctos atque prudentes si quæ fortaßis minus

minùs probabuntur æquiores inuenero.

Qui tamen si se mihi iusta petenti, duriõres præbere in animum induxerint, (quod eos facturos minimè reor, quandoquidem sapientium nomine atque dignitate nihil alienius) communi me nihilominus omnium qui vnquam scripserunt conditione consolabor: & eius viri authoritate qui recusantem, & quiduis me potiùs facere cupientem ad hanc scribẽdi audaciam impulerat (vel apud iniquos et inuitos Lectores) omne tam temeritatis quàm insciticæ crimẽ deprecabor. Vale.

X. Kal. Decemb.
CIↃ.IↃ.LXXV.

Alex. Ne. amico suo ingenuo atque omni humanitate perpolito, Tho. Dranta Archid. Leuicensis.

Quisquis inexpletùm seros decurrere in annos
Ardet, honorato nomen sumturus ab ore,
Ille Neuylleo splendescat Apolline: quisquis
Sons animi, probitatis inops, & degener altæ
Virtutis, nocuis audax occalluit ausis,
Quiq́ miser meruit laniantis dentibus æui
Rodier, innumeris populataq́ nomina linguis
Linquere, longeuæ nec se subducere labi,
Ille Neuylleo calamo vilescat vtroq́ est
Par: culpare malos: dignos aut tollere laude.
Tu mihi, tu teneris, ita note, Neuylle, sub annis,
Te melos, & pulchræ iuuenilis gloria linguæ,
Te studium semper flagrans, te nobilis ardor,
Et decorauerunt cœlestis sensa cerebri.
Ac velut emollita foco bona cera calenti,
Antea formarumq́, atque omnis imaginis exors,
Quaslibet admittit facies, & protinus omnes
Fingitur in vultus, rerumq́ capacior exstat:
Sic in multiplices fandi decor inclytus vsus
Flectitur ille tuus, diuiniq́ ætheris hausius
Quodlibet audendi fœlix, sacer impetus omnes
Quos velit egregios fluit obsequiosus in actus.
Certè ego, de docto potatus plurima fonte,
Quiq́ hederas petui fronti vinxisse sequaces,
Offulsus meliore deo: te dispare canna
Tentabam, pronumq́ tuæ me cedere Musæ
Sæpè quidem solitum non vllus, amice, negabo.
Quantus eras tum, cùm memori quàmplurima sensu
Eruit in medium, vel cùm centena prefatu
Extudit illustri tua mens diuinior arte?
Quantus eras vel cùm, fluuiorum lenè labantûm

Instar

Instar ijt sermo? vel cum neruosior esset
Intentanda acies, & acuti cordis acumen?
Quantus cum tumidis certabas rhetore rostris
Grandia fulmineo iaculatus verba rotatu?
Quantus, quantus eras semper cùm maximus ille
Effingendus erat Cicero, vestigia pressis
Cùm signanda notis? dij, dij quàm plurimus vsque
Egregias laudes, famæ & decora alta tulisti?
Non tu nullus eras, nec eras non maximus inter
Pernassi proceres, & amœni fontis alumnos?
Quin ego qui poteram varias fulgere per oras,
Inscribiq; polo meritis, & diuite cantu
Frangebar fatisq; malis, hominumq; nocenti
Inuidia: rebus latè spoliabar: & omne
Viluit in lites studium, vitamq; leuandam.
Me malus exedit liuor, me inscitia lucri,
Me dolus, amissis dubijq; in rebus amici
Fortuna pepulere bona: spissiq; cerebri
Fex hominum fausto vitæ de tramite trusit.
Heu nihil inuita fas *quenquam posse crumena*
Nunc patrare boni: nunc, nunc obiere patroni
Non cauponantes doctorum præmia, Musæ,
Musæ inhonoratæ languent, squallentq;, gemuntq;,
Insipidus gliscit numerus: nummo gerituri res.
O animæ pars grata meæ generose Neuylle
Diuis orte bonis, cui corpore viuida virtus,
Frontis bellus honos, & amicæ mentis honestas.
Quæq; deos statuunt: si quid mea carmina possunt
Semper in innumeros Virtute Neuylle decores.
Ecquid & infestis iactatus quando procellis
Hæc mecum documenta refers? sollersue tacendi
Defugis incuruos hominum reprehendere mores.
Tu quoq; non paucis iamdudum quasse periclis
Pondere nutasti grandi: te præsulis Aula
Excipit hospitijs, sed sic vt dicere velles
Nordouicum populum, mitraq;, stolasq;, patresq;,

Qui peda geſtarûnt illic, ita pluribus ille
Mœcenas voluit veſter, quia paruulus inde
Creuerat, & ditem ſcandebat fortè cathedram.
Sic tu tam lautus rerum memorator herili
Imperio, modicamq́ vrbem, modicumq́ Senatum
Ingenti premis ore: ſeges tibi creuit ab illo
Id populus curet potiùs, tradantq́ parentes
Obſcuri gnatis, & muſſet quiſque viritim.
Ingenys apta eſt hæc area turpiter hyrtis
Dicere quot patres, quot ſegnis quiſque ſedebat
Luſtra patrum, quota ſcita dabant, fatuoq́ popello
Addiderant ritus, vel quot conuiuia ciues
Secum agitant læti, quibus eſt authoribus orta
Vrbs: quibus & templum: quæ vix ego ſtans pede in vno
Dictarem vetulis niſi plus vel patribus ipſis
Vrbs, vel ciue ſuo magis increbreſceret orbi.
Nec tamen his teritur tua laus, aut fama loquendi,
Siue canas culices vox eſt tu cycnea cantu,
Nec ſi grandiſono pangas regalia plectro,
Id ſtolidus pendet mundus ſatrapæuè ſupini,
Sordidiuliuè gregum patres, ita vergit in æra
Mens hominum, ſurdaq́ cupit diteſcere fama.
Tu tamen vt non ſint pulchræ ſua præmia laudi
Macte animis, muſiſq́ mica, virtuteq́ fulge,
Mors ruit, & mundi volat irreparabilis ætas,
Sola viret virtus, & vis maiora patrandi.
Actibus auguſtis infer te te arduus aſtris.

Errata quæ in hoc volumine occurrunt, vbi notandum eſt quod numerus primus paginam, ſecundus lineam denotat.

6. 11. debilitatis,lege debilitatus. 18.15.ſtadiroum,lege ſtadiorum. 19.3.abaducta.lege abducta. 32.11.Tertia,lege Territa. 40.1.Britannicam,lege Britanniam. 41.11. conflicto,lege conflictu. 43.6. quid,lege quòd.Ibidem.15.colon: pro cõma,77.10.Ordiuico,lege Ordouico.94. 8. illorum,lege pontificum.109. 1.duxit,lege perduxit.117.2.pontifica, lege pontificia. 142.5. a.d.Kal. lege a.d.XII. Kal. 160.6. vti,lege vbi, 173.3. ijs,lege ij. 208.5. Balliua,lege Balliuorum.

Alexandri Neuylli Norwicus.

VRBIS Norwicẽsis historiolam perscripturus sum: non absolutam illã quidem, aut suis vndiq; numeris perfectam (neq; verò id mediocris est artis & ingenij) sed vt in tanta rerum obscuritate fieri, à me præsertim potuit, breuem, illustrem, & apertã. Etenim cùm multa dies deleuerit, nec pauciora fœda barbaries, ac nonnullorum incuria deprauauerit, veritatem tãtis in sordibus demersam, in integrũ restituere, maius est certè quiddã quàm homines opinantur, pluribusq; molestijs circũfusum. Nam cùm senio, ac æui labentis, tãquam faucibus, ipsa vetustas multa cuiuslibet generis deglutierit:

tùm rei literariæ quantum cladis inuexerit, dici equidem vix posse existimo. Et certè iure optimo expulsam se veritas,& omnibus è locis eiectam, & exterminatã conqueri posset: si nõ horum temporum fœlicitas magnã nobis virorum optimorum copiam, & in omni eruditionis genere excellentium profudisset: quorum opera ac labore,obscurata prorsus bonarum artium studia, & exstincta, denuò dilucere cœpissent.Hi desertam pænè ab omnibus veritatẽ, ac velut in alieno peregrinantem solo, hospitio susceperunt, vulneraq; illa sanarûnt,quę tempora inimica virtuti inflixerunt: tum pristinam oris, ac formæ dignitatem restituerunt eam, cui vel hominum improbitas, vel (vt aliô culpa deriuetur) fortunæ quædã fatalis calamitas turpissimas maculas impressisset. Veruntamẽ quantũ ornamenti ac splendoris,singulæ, à singulis sibi viris, artes asciuerint commemorare, neq; propositum

positum est mihi hoc loco, neq; certè necessarium. Historia verò vt se poliuerit, limarît, illustrarît, omnemque vetustatis veluti fecem absterserit : qui non videt cœcus est : qui videt, nec agnoscit, tamen ingratus. Verumenimuerò quanquam multi singulares viri, ac pænè admirabiles hoc in genere elaborarînt, multumq; operæ ac studij in nostrarum antiquitatum monumentis perueſtigandis adhibuerint, tamen cùm omnes omnium industrias animo ac cogitatione complexus fueris, reperietur vnus, qui quantum cæteris dignitate præstiterit: tantũ omnes huius eximiæ virtutis laude superauerit. Primus namq; is (quod sciam) antiquitati Britannicæ, depressæ prius in tenebras, atq; in cœno iacenti dexteram porrexit: eamq; princeps in hominum cœtus deduxit, vt quę anteà vel librariorum insciti a, vel temporum iniuria deformata delituerant, ea nunc typis æneis excusa, &

nouis tanquã depicta coloribus, omnium ora vultuſque non reformident. Etenim cùm huic præſuli ampliſsimo Deus optimus maximus ſummam patriæ ſemper iuuandæ voluntatem, & non minimam cum voluntate facultatem tribuiſſet: eo ſanè animo perpetuò fuit, vt naturam nihil habuiſſe melius exiſtimaret quàm vt vellet, nec fortunam maius quâm vt poſſet, rei literariæ afflictæ vehementer & perculſæ ſubuenire. Tãtũ itaq; cõſecutus eſt, quantũ & voluit vir omniũ optimus, & potuit præſulum præſul ampliſsimus.

Vigent ergo (vt anteà dixi) tùm huius maximè, tùm aliorum illuſtrium virorum induſtria, bonarum literarum ſtudia, arteſque optimæ indies illuſtrantur: adhibentur etiam & cohortationes, & præmia, vt & gloria adoleſcentes illecti, & commodorum ſpe compulſi, ad honeſtarum ſcientiarum ſtudia incenderentur. Nam vt de meipſo coniecturam faciam,

faciam, quem esse nihil in literis fateor, (vt aliquid tamẽ sim quotidiè laboro) dici non potest quantũ huius præstãtissimi præsulis bonitate incẽsus, ad ea studia exarserim, quæ (de virtutis via deflectens) dudum demens abiecerã. Etenim cũ me aulicæ iam leuitatis, vitæq; pertęsũ, ac rei familiaris angustijs vndiq; implicitũ, sibi ab episcopis asciuisset, erectus mente atq; animo, cœpi flagrãtiùs multò, ac inflammatiore quàm vnquam anteà voluntate, in bonarum artium studijs disciplinisque versari. Vndè factum est, vt & effusam illam & vagam iuuentutis meæ licentiam, arctioribus vinculis astringerem, & quæ anteà mihi in otio, ac voluptatis veluti regno degenti, ex animo effluxissent, ea (tanquam postliminio) domum reuocarîm. Sed accidit sanè iniquo meo fato, vt quem in tenera ætate cognitionis, ac scientię ardorem, aduersus nescio quis meis optimis

ſtudijs genius repreſsiſſet: Eũ nunc huius clariſsimi Pontificis præſidio excitatum denuò, & ardentem, imbecillitatis meæ recordatio reſtinxerit. Nam cùm vndiq; intuerer viros admirabili ſcientia, & copia florentes, mihi autem ipſe meæ tenuitatis conſcius forem, quamque nullis inſtructus eſſem optimarum artium diſciplinis, longumque iter vidiſſem ad illa, quæ iam alij cõtigiſſent, deſperatione debilitatis in ipſo pænè curſu concideram. Itaq; cùm hanc hiſtoriolam illuſtriſsimi Põtificis imperio ac auctoritate ſuſcepiſſem, rei magnitudinem ac difficultatem cogitatione ac mente complexus, cœpi ipſemet mihi diffidere, omnemque penitus perficiendi ſpem abijcere. Etenim cùm iſtæc ætas, nihil niſi egregium & excellens admiretur, omniumque aures eloquẽtiſsimorum hominum ſcriptis, ac vocibus circumſonent, quis mihi locus erit adoleſcenti infantiſsimo, & nullis optima-

timarum artium disciplinis instructo? Veruntamen si sustinere tantam rem nõ potero, testificor me inuitum, & domini mei (vt par est) amplissimi, ac optimè de me semper meriti imperio obsecutum, hanc scribendi impudentiam suscepisse. Iniquus autem erit lector, quisquis inopiam & imbecillitatem meam pro crimine posuerit, meque imprudentiæ potiùs condemnauerit, quia quod debui nõ potuerim, quàm industriam probauerit, qui quod potui certè voluerim.

(·:·)

BRITAN-

RITANIAM omnium insularũ quas cõtinet terrarũ orbis nobilissimã, & esse, & multis à retrò seculis exstitisse, cunctorũ iam pænè literis ac linguis percrebuit, siue naturam loci, situ ue speciem atq; pulchritudinẽ spectes, siue vbertatem soli, siue gentis rerumque à gente gestarum magnitudinem. Hæc in tres est diuisa partes, quarum vna Anglia, Albania (Scotiam hodie appellant) altera, tertia Cambria siue VVallia nũcupatur. Harum maxima, & cæterarum omnium florentissima Anglia est: semperque fuit: quondam Albion dicta, deinceps Britania: quod nomen genti à Bruto inditum, ad hanc vsque ætatem à Britocambris (antiquis huius terræ incolis) vsurpatur. Hi etenim Britanum hodierno

hodierno die ſua lingua *Britvvn* & Britannos plurali numero *Britaniaid*, & *Brython* appellant: quæ voces proculdubiò à rege Bruto dimanauerunt. Nam quòd Polydorus homo Italus (magni certè ingenij vir, mediocris verò fidei auctor) libros ſuos neſcio quibus coniecturarum deliramentis reſperſit, Britanniæq; & nomen, & originem aliundè deriuauit, id certè nullius momenti eſſe debebit, præſertim cùm Ioannes Pryſeus (equeſtris ordinis vir) viuenti adhuc Vergilio, vanitatis & mẽdacij dicam impegerit, multiq; poſt Pryſeum ſcriptores grauiſsimi, leuiſsimi Itali errores & commenta refutauerint. Britannia ergo antiquitùs (quod fatẽtur omnes) dicta fuit, ab eaque (teſte Plinio) adiacentes inſulæ Britanniæ denominatæ ſunt, multique ſcriptores antiqui & illuſtres, huius inſulæ mentionem fecerunt, nempè Ariſtoteles, Cleomedes, Cæſar, Cicero, Di-

onisius Halicarnassæus, Diodorus Siculus, Diō, Eustathius, Mela, Herodianus, Plinius, Plutarchus, Pausanias, Ptolomęus, Strabo, Eutropius, Lāpridius, Vopiscus, cōplurescq; alij Poetæ, Philosophi, historici, partim Græci, partim Latini: qui omnes Britaniam hanc, & minores huic circūfusas insulas (velut maiori appendices) Brytanias, siue Brytanicas cognominauerunt. Nam quamuis Plinius (antiquitatis indagator acerrimus) secùs fortasse cuiquam sensisse videbitur, sic enim scribit: *Albion ipsi nomen fuit cùm Britaniæ vocarentur omnes*: tamen & ipsemet Plinius Britaniam appellatam fuisse fatetur, & Aristotelem magistrum secutus (cuius hæc sunt verba, νῆσοι Βρεττανικαὶ Αλβιον καὶ ἰερνη) insulam vocabulo veteri, & suo iam seculo prorsus obsoleto, ad notā cæterarū prudenter distinxit. Alioquin quid quæso causæ esse putemus, quod neque Tacitus, neque Cicero, neq; ipse Cæsar,

Cæsar, qui harum rerum (quo fuit certè ingenio) obseruantissimus semper fuit, neq; tot præterea politi scriptores, atque concinni, qui eius insulæ famã scriptis celebrarûnt suis, Albionis vnquã meminerint, sed vno veluti cõsensu Britaniam vniuersi nuncuparûnt. Veruntamen vtcunque hæc ab alijs accepta sunt, haud equidem in magno ponã discrimine: mihi certè satis erit ad id quod proposui, si ex his quæ dicta sunt, lectores & nomen insulæ, & nominis originem cõprehendãt.

Quales autem ab initio mortales regionem hanc incoluerint, quas res gesserint, quibus ex oris hanc in terram deuenerint, (quamuis Cæsar & Siculus aborigines, & αὐτοχθονας eius inhabitatores fuisse arbitrentur) quemadmodum post (deuictis atq; deletis à Bruto, & Troianorũ reliquijs, gigantibus, & veteribus huius regni incolis) regio in tãtam magnitudinem excreuerit, vt à Britanis

ad Saxones, à Saxonibus ad Normãnos decurſu temporis imperium defluxerit, ea ſubtiliùs perſcrutari nequaquam mihi quidem in animo eſt: quãdoquidem has res accuratè plæriq; commentarijs perſcripſerunt ſuis, & ego nõ totius mihi gẽtis, ſed vnius duntaxat ciuitatis hiſtoriam explicandam ſuſcepi. Ad cuius vrbis amplitudinem atque ſplendorem permagni mihi ſanè intereſſe videtur, ſi priùs quàm ad eius res geſtas illuſtrandas peruenerô, totius inſulæ ſitum, formamque depinxerô. Etenim & ipſa ſibi ciuitas excelſior quodammodò & auguſtior videbitur, ſi inſulæ huius vniuerſæ, velut filia matris, condecorata laudibus reſplendeſcat, & noſtræ gentis atq; nationis ignari homines, clariùs perſpicient, quantam, & quàlis populi vrbem ſcriptis noſtris celebraturi ſumus.

BRITANNIA igitur inſularum (vt ſuprà demonſtrauimus) omniũ maxima,

xima,atq; populosissima, cui quõdã Albion nomen fuit, nũc autem Anglia vocatur, Oceano circũflua, inter septẽtrionẽ & occidentẽ sita est,à Germania,Gallia, Hispania, maximis Europæ partibus multo interuallo disiuncta. Hanc quondam sicut Siciliam continenti adiunctam fuisse nonnulli existimarũt,maritimisq; indè æstibus abruptam atque diuulsam: qua de re Virgilius:

Et penitùs toto diuisos orbe Britannos.

Et Claudianus etiam Poeta:

Paruit & nostro diducta Britãnia mũdo.

Quæ quidem opinio siue vera sit,siue falsa, (quis autem rem tam veterem pro certo affirmare audeat?) diuturnitate tamen temporis extabuit.

Habet à meridie Galliam Belgicam, cui aduersæ sunt *Rutupiæ*, vrbs sanè perantiqua, & (Bertiniano teste) regum quondam sedes: de qua Lucanus libro sexto:

Aut vaga cùm Tethys, Rutupinaque litora feruent,
Vnda Caledonios fallit turbata Britanos.

Ab Angloſaxonibus olim (ſed corruptè) *Repteaceſter* dicebatur, à noſtris autẽ hodiè *Richborow* nuncupatur. A Morinis porrò ſiue Picardis (namq; id hodiè genti nomen eſt) breuiſsimus eſt in Angliam tranſmiſſus (ſic enim Iulius Cæſar commentariorũ quarto ſcribit:) & dein quinto: *Ex Iccio portu* (Caletũ nunc dicitur) *cõmodiſsimũ eſſe in Britaniam tranſiectũ didiciſſe ſe demonſtrat.* Quãquã nonnulli (inter quos eſt Strabo) à Geſſoriaco Morinorũ gentis litore proximo, tranſmiſsũ putẽt, ſtadiorũ ter centũ viginti ſex: nõnulli autẽ millia paſſuũ quinquaginta. Plinius etenim ad hunc modũ ſcribit: *Ex aduersò huius (nempè Rheni) ſita eſt Britania inſula, Græcis noſtriſq; monumentis clara, inter ſeptentrionem & occidẽtem iacet, abeſt à Geſſoriaco Morinorũ gentis li-*

tore

tore proximo traiectu quinquaginta millia passuum ad minimum. Hæc Plinius. A Septẽtrione autem Oceano infinito patet, vbi inter Britaniam & Hiſpaniam diſperſæ interiectæq; ſunt multæ minores inſulæ, quas Orchadas appellant: inter quas omnium extrema Thule eſt, cuius Vergilius meminit Georgicorum primo:

Tibi ſeruiat vltima Thule.

Quibus de inſulis quandoquidem permulti multa ſcripſerunt, operæ prætium erit, neq; propoſito (vt arbitror) alienum noſtro, ſi quid quiſq; hac de re monumẽtis prodiderint ſuis, ipſorũ verbis luculẽter expreſſerô. Quod quidẽ tũ demũ facere decreui, cũ ad vrbiũ & ciuitatũ Britanicarũ deſcriptionẽ peruenerô, quoniã is mihi locus ad hãc rẽ aptiſsimus videtur. Nũc autẽ de ſitu, quę reſtãt Britanię, breuiter (vt cœpimus) perſequamur. Habet autem ipſa Britania clariſsimas ęſtate noctes,

noctes, & multa luce conſpicuas, adeò vt medio ſępè noctis tempore (vt Bedę verbis vtar) in quæſtionem intuentibus venire ſoleat, vtrûm crepuſculum adhuc permaneat veſpertinum, an iam aduenerit matutinum. Qua de re Cleomedes, (auctor ſanè grauiſsimus) ſic ſcribit:

In Britannia quùm ſol circa Cancrum eſt, diem longiſsimum facit, vt decem & octo horarum ſit dies æquinoctialium, nox autem ſex, vndè etiam tum nocte lumen emicat, ſole ipſo ſecundùm finientem procurrente, & ſupra terram lucem emittente. Et certè æſtate dies lõgiſsimi ſunt, hieme verò breuiſsimi, adeò vt horarum ferè ſex ſpatio Decembri menſe conficiantur. Forma inſulæ triquetra eſt, eaque ita vndiq; diſtincta portubus, & munita mari, vt nihil ad eius defenſionem firmius ab ipſa pęnê natura excogitari poſſe videatur. Cuius ſpeciem & magnitudinem, quoniam viri quidam omni exculti doctrina, atq; eruditione

ditione præcellentes, ſcriptis ſuis memoriæ commendarunt, haud ab re fuerit, ſi eorum quoq; ſententiolas breuiter ſubiungam. Cæſar itaque (vt ab eo potiſsimùm exordiar) libro commentariorum ſuorum quinto hunc in modum ſcribit. *Inſula natura triquetra, cuius vnum latus eſt contra Galliam, huius lateris alter angulus qui eſt ad Cantium, quò ferè omnes naues ex Gallia appelluntur, ad orientem ſolem, inferior ad meridiem ſpectat. Huius latus tenet circiter millia paſſuum quingenta. Alterum vergit ad Hiſpaniam atq; occidẽtem ſolem, qua ex parte eſt Hybernia. Huius eſt lõgitudo lateris (vt illorum fert opinio) ſeptingentorũ millia paſſuum. Tertium eſt contra ſeptentrionem: cui parti nulla eſt obiecta terra, ſed eius angulus lateris maximè ad Germaniam ſpectat. Hoc millia paſſuum octingenta in lõgitudinem eſſe arbitrantur: Ita omnis inſula eſt in circuitu vicies centena millia paſſuum.* Cum Cęſare cõſentit

Diodorus Siculus, cuius hæc ſunt verba: *Eſt hæc inſula triangulari forma Siciliæ ſimilis, latera habens inæqualia cùm protẽdatur per obliquum Europam verſus. Vbi minimum à continenti abeſt, promontorium eſt quod appellatur Carion, procul à terra quo tempore mare fluit, ſtadijs fermè cẽtum: alterum promontorium (Velerium nomine) abeſſe aiunt à continenti nauigatione dierum quattuor, reliqua pars quam Orcham appellant, ad mare ſpectat. Minimum latus Europæ adiacens protendi aſſerunt ſtadijs ſeptem millibus. Lateris ſecundi longitudo à Carione vſq; ad promontoriũ ſtadiroum complectitur quindecim millia. Tertium latus ſtadiorum millia viginti. Ita vniuerſæ inſulæ ambitus ſtadiorum, & miliũm duorum & quadraginta.* Hucuſque Siculus: Mela autem ſic ſcribit: *Inter Septentrionẽ & Occidentem profecta grãdi angulo Rheni oſtia proſpicit, deindè obliqua retrò latera abſtrahit, altero Galliam, altero*

altero Germaniam ſpectans. Tum rurſus perpetuo margine directi litoris ab tergo reabaducta, iterùm ſe in diuerſos angulos cuneat, triquetra, & Siciliæ maximè ſimilis. Plinius verò ſic: *Britaniam circuitu patere tricies octies centena viginti quinque millia Pytheas & Iſiodorus tradunt: triginta iam propè annis Romanorum armis notitiã eius nõ vltrà vicinitatẽ ſyluæ Caledoniæ propagãtibus. Agrippa lõgitudinẽ octingẽta millia paſſuum eſſe: latitudinem millia ter centum credit.* Hæc Plinius. Solinus item de Britaniæ magnitudine ſcribens, ad hunc modum loquitur: *Finis erat orbis ora Gallici littoris niſi Britania inſula non qualibet amplitudine, nomen pænè orbis alterius mereretur, octingentis enim & amplius paſſuum millibus longa porrigitur, ita vt eum in Caledonicum vſque angulum metiamur. In quo receſſu Vliſſem Caledoniæ appulsũ manifeſtat ara Græcis literis inſcripta voto. Multis inſulis nec ignobilibus circundatur.*

Expoſui de magnitudine & ſpecie huius Inſulæ doctorum quorundam hominũ ſententiolas: reſtat nunc vt de fœcunditate ſoli, & admirabili gloria gẽtis pauca quædã pari breuitate perſtringamus. Ac primùm de magnitudine cõmodorum quæ percipiuntur ex cœli temperatione, fœcunditate terrarum, aliarumque vtilitatum opportunitatumque complurium copia: multa dicere ſuperuacaneũ arbitror, præſertim cùm Deus optimus maximus nihil in toto pęnè terrarum orbe, hac Inſula ſollertiùs fabricarît, nihil meliùs, nihil pręſtabiliùs, nihil pulchriùs, nihil vtiliùs. Etenim vt illa quæ ſunt voluptatis magis quàm vtilitatis prętéream, camporum amœnitates, piſcatus, venationes, aucupia, multaq; eiuſdem generis, quibus ad delectationem noſtrã abutimur: qualia ſunt illa? quanta? quàm præclara? quàm omni laude & prædicatione digna, quæ terra humano generi vbertim

bertim fundit, fruges, fructus, pecora, piſces, ferri, æris, plumbi, nonnulliſq; item in locis, auri, argentiq; reconditas venas? Quid hîc vrbium, ciuitatumq; ſitus cõmemorem? Quid templorum venerandam maieſtatem? Quid priuatarum ędiũ magnificentiam? Quid nobilium in tanti regni dignitate ſuſtinenda amplitudinem? Pontificũ in relligione ac ſacris ritè procurandis pietatem? Eruditorum in omni genere doctrinarum excellentiam? Militum in prælijs ineundis fortitudinẽ? Negotiatorum in mercibus importãdis ſedulitatem? Opificum in rebus ſingulari artificio fabricandis ſollertiam? Ruſticorum in agris colẽdis parſimoniam & induſtriam? Quid deniq; cætera, quæ ſunt innumerabilia, perſequerer omnia, tam admirabili ordine deſcripta deſignataque, vt nihil neque ad vſum præclariùs, neq; ad ſpeciẽ pulchriùs eſſe poſsit? Adde huc piſcoſos amnes, riuos liquidiſsimis

aquis profluentes, balnearum fluuios in morbis depellendis saluberrimos, camporum immensitates vndiq; arboribus, floribus, herbis viridissimis vestitas, asperitates syluarum & nemorum densissimas, montium altitudines, amœnitates vallium, adde ouium greges, armenta boûm, equorum reliquíque pecoris vim innumerabilem, auium siluestrium domesticarumque numerũ incredibilem: multaq; prætereà, quæ si enumerare cũcta conarer, vereor ne in infinitum progrederetur oratio. Ac ne fortè quis istæc à me ad libidinẽ fingi arbitretur, quò patriam immeritis laudibus ornarem meã, quorundam mihi scriptorum testimonia hac de re proferenda existimaui. Etenim quæcunque talibus de rebus in lucem edidero, cunctos tamẽ hortabor, ijs fidem ne adiungant, nisi quatenùs probabili nixa ratione, firmissimis probatissimorum auctorum sententijs comprobabuntur.

Mamer-

Mamertinus igitur Romanus, in panegyrico Maximiniano dicto, sic scribit: *O* (inquit) *fortunata, & omnibus beatior terris Britania: meritò te cunctis cœli & soli bonis natura donauit, in qua nec rigor nimius hyemis, nec ardor æstatis, in qua segetũ tãta fœcũditas, vt muneribus vtriusq; sufficiat & Cereris, & Liberi: in qua nemora sine immanibus bestijs, terra sine serpentibus noxijs: contrà pecorum mitium innumerabilis multitudo, lacte distenta, & onusta velleribus, cæteraque omnia quæ propter vitam diliguntur: longissimi dies, & nullæ sine aliqua luce noctes.* Hactenus ille. Quę omnia scriptor quidam perantiqui sanè nominis, & eruditionis haud spernendæ, luculentissimis versibus expressit.

Illa quidem longè celebri splendore beata
Glebis, lacte, fauis, supereminet insula cũctis
Quas regit ille deus, spumanti cuius ab ore
Profluit Oceanus.

Et paulò post:

Testes

Testes Lõdonium ratibus, Wintonia Baccho:
Herefordia grege, Wirecestria fruge redũdãs:
Batha lacu, Salebyra feris, Cantuaria pisce,
Eboracum Syluis, Excestria clara metallis.
Norwicum Dacis, Hibernis Cestria, Gallis
Cicestrũ, Norwagenijs Dunelma propiquãs.
Testis Lincoliæ gens infinita decore,
Testis Eli formosa situ: Roueceſtria visu.

Confirmat hoc quoque Solinus his verbis: *Circuitus* (inquit) *Britaniæ, quadragies octies septuaginta quinq; millia paßuum sunt, in quo spatio magna & multa flumina, fontes calidi, opiparo exculti apparatu ad vsus mortalium, quibus fontibus præsul est Mineruæ numen, in cuius æde perpetui ignes nunquam canescunt in fauillas, sed vbi cinis tabuit, vertitur in globos saxeos: præterea vt taceam metallorum largam variamq; copiam, quibus Britaniæ solum vndiq; generum pollet venis locupletibus. Gagates hic plurimus optimusq; est lapis, si decorem requiras: nigro gemmeus: si qualitatẽ: nullius*

nullius ferè ponderis: ſi naturam: aqua ardet, oleo reſtinguitur: ſi poteſtatem: attritu calfactus applicata detinet æque vt ſuccinum. Hæc Solinus: Beda verò magnæ doctrinę vir, & ingenio prędituseximio, hũc in modum de Britãnia ſcripſiſſe fertur: *Optima frugibus atque arboribus Inſula, & alendis apta pecoribus, ac iumentis, vineas etiam quibuſdam in locis germinans: ſed & auium ferax terra mariq́ue generis diuerſi, fluminibus quoque multum piſcoſis, ac fontibus præclara copioſis. Et quidem præcipuè iſicio abundat, & anguilla: capiuntur autem ſæpiſsimè vituli marini, & delphines, necnon & balenæ, exceptis variorum generibus conchiliorum, in quibus ſunt & muſculæ, quibus incluſam ſæpè margaritam omnis quidem coloris optimam inueniunt, id eſt, & rubicũdi, & purpurei, & iacinthini, & praſini, ſed maximè candidi. Sunt & cochleæ ſatis ſuperq́ue abundantes, quibus tinctura coccinei coloris*

efficitur, cuius rubor pulcherrimus nullo vnquam solis ardore, nulla valet pluuiarum iniuria pallescere: sed quò vetustior, eò solet esse venustior. Habet fontes salinarum, habet & fontes calidos, & ex eis fluuios balnearum, omni ætati & sexui per distincta loca iuxta suum cuiq; modum accommodos. Aqua enim (vt S. Basilius dicit) feruidam qualitatem recipit, cùm per cætera quædam metalla transcurrit, & fit non solùm calida, sed & ardens. Est etiam venis metallorum, æris, ferri, plumbi, & argenti fœcunda. Gignit & lapidem Gagatem plurimum optimumque: est autem nigro colore gemmeus, & ardens igni admotus: incensus serpentes fugat: attritu calefactus applicita detinet æquè vt succinum.

Iam verò quantum belli gloria floruerint huius regionis incolæ, quàm inuicto semper animi robore exstiterint, quo in rebus gerendis consilio, virtute, fœlicitate, quantum potuerint, quid effecerint, qui,

qui, qualesq; fuerint, ea si oratione complecterer omnia, & Polydoro perfidiæ labem æternam inurerem, & nostrarum rerum rudes, singulari tantæ fortitudinis admiratione perfunderem. Sed cùm (vt anteà demonstraui) ciuitatem tantummodò Norwicensem illustrandam suscepi, eò mihi contento semper cursu vela facienda sunt, neque tam vastum mare ingrediendum, ne si fortè de via semel deflexerit oratio, aut longis erroribus fatigata (veluti ventis cessantibus) langueſcat, aut in ipso portu rerum magnitudine (tanquam fluctibus) obruatur. Quanquam quid est in hac causa quod orationis magnoperè indigeat? præsertim cùm tot præstantissimorũ hominum scripta nostrę gentis laudibus, & incredibili factorum fama vndiq; circunsonent. Nam vt illa antiquiora crassissimis inuoluta tenebris præteream, quæ quidem tanta ignorationis caligine

longa obſepſit vetuſtas, vt pęnè à conſpectu omni luceq́; remouerit: quis eſt adeò rerum Britãnicarũ inſolẽs, illud vt ignoret, quantum à Bruti in hanc inſulam aduentu, vſque ad hæc tempora noſtra natio nominis ſui gloriam virtute bellica propagauerit? Percurre omnes omnium ſcriptorum annales, veteraq́; rerum Britãnicarum monumenta ſcrutare, quotq́; reges à Bruto vſq́; ad Caſsiuelaunum regnarînt, qui, qualeſque fuerint, animaduerte, omnem denique illam mille quadraginta annorum hiſtoriam euolue (totidem enim annos à Bruto ad Cæſaris in Britãniam aduentum regnatum eſt) tum demùm manifeſtò apparebit, quantum ætas illa militari laude refulſerit. Quid quod Polydorus Virgilius ipſe, ſcriptor alioquin nomini (vt apparet) Britãnico infenſiſsimus (imbelle enim & infidum hominum genus Britãnos appellat, multiſque in locis iniquiſsimis calumnijs noſtræ

ſtræ gentis honori inuidioſiſsimè detrahit) coactus tamen fuerit populo Britanico virtutis teſtimonium impertiri. Anglicæ enim hiſtoriæ ſuæ (ſic enim appellat) libro primo ad hunc modum ſcribit: *Secutum eſt poſteà tempus militaris gloriæ, non item aliarum virtutum prorſus ſterile, quo reges fuerunt Reginus, Morganus, Ennanus, Idwallo, Riuio, Geruntius, Catellus, Coyllus, Porrex eius nominis ſecundus, Fulgentius, Eldalus, Androgeus, Vrianus, & Eliud.* Sedenim de Polydoro poſthac fortaſsis aptior erit dicendi locus, qui tantum afuit, hiſtoriam vt vnquam puram, & integram, omniſque expertem labis cogitarit: vt etiam quæ ab alijs caſtiſsimè deſcripta ſunt, turpiſsimè corruperit, libroſque nonnullos veteres manuſcriptos (certiſsimos Britanicarum rerum indices) homo Italus, (vt fertur) exemplo poſt homines natos peſsimo exuſſerit. Itaque nihil illius ſcriptis con-

temtiùs, nihil leuiùs, nihil inquinatiùs existimari iam cœptũ est, præsertim cũ nuper viri quidã nõ vulgari eruditione pręditi exstiterint, qui illius vanitatẽ ac perfidiam apertè coarguerint. Constat ergò (vt eò vndè digressi sumus reuertamur) vel hoc Polydoro teste, multis seculis ante Cæsaris in Britanniam transmissum, gentem Britãnicam bellicosissimam exstitisse. Videamus nunc ecquæ macula turpitudinis & ignauiæ contracta sit, postquam Cæsar omnium (vt ipsi gloriantur) gentium victor instructa classe, insulæ potiundæ spe impulsus Britãniam inuaserat. Quod autem indicium exstare potest maius, & ad insignem memoriãm fortitudinis Britannicæ, & ad iustam Romani nominis turpitudinem, quàm quòd constat Cæsarem imperatorem talem ac tantum, qui propè totum terrarum orbem sui nominis fama replesset, bis à Britãnis fusum, ignominiosã nescio

cuius

cuius victoriolæ vmbram domum reportasse. Etenim si veram gloriam & solidam concupierit, (erat autem laudis auidissimus) qui fit quòd non gẽtem omnem subegerit, sicuti Galliam, Germaniam, finitimosque populos continuis prælijs subiugauerat? Quid est quod cum Cantianis tantùm (hominibus equidem semper ad laudem & gloriam natis) & circumuicinis oppidulis conflixerit, neq; insulam altiùs penetrarit, sed in litoribus semper & extremis regionis oris constiterit? Quæ res impulit virum prudentissimum, & rei militaris scientissimum, vt impolitis adhuc rebus, & acerbissimum subitò recesserit? Illud equidẽ negari non potest, illũ adipiscendæ huius insulæ spe, & Romani imperij dilatãdi desyderio in Britãniam nauigasse. Credibile itaq; est, tentatis insulanorum viribus, omniq; tanti facinoris perpetrandi facultate præcisa, voluntatem quoque præstantissimo

duci

duci defuisse. Et quidem quanquã Cæsar ipse, (quo fuit certè ingenio) multiq; alij conati sint ex ignominiosa fuga illustrem victoriam (tanquam portentum aliquod & monstrum) progignere, tamen non defuêre magni nominis quidã poetæ, qui res illas vti gestæ fuerant, carminibus depinxêre suis. Etenim Lucanus insignis poeta Pharsalidos secundo, de Cæsare sic scribit:

Tertia quæsitis ostendit terga Britannis.

Et Tibullus qui eorum temporũ æqualis fuit, & Cæsari perfamiliaris, ad Messalã hunc in modum scripsit:

Te manet inuictus Romano marte Britannus.

Tibulli ergò (id est) viri ingeniosissimi ac vndecunque doctissimi testimonio, qui mentiri neq; audebat propter Cæsarum amplitudinem atque potentiam, neque volebat (erat enim illorum amantissimus) neq; potuit ne se impudenti mendacio

dacio, præsenti hominum teste memoria, cõstringeret) huius inquam Tibulli excellentissimi poetæ testimonio, Cæsare gentium iam omnium domitore defuncto (recens enim in senatu viginti tribus vulneribus confossus interijt) manebat nihilominùs (vt illius potissimùm verbis vtar) *Inuictus Romano marte Britannus.* Quod si verum sit (est autem proculdubiò verissimum) nunquam Britanniæ à Cæsare deuictæ, sed Cæsar à Britãnia repulsus profligatusque, aut cruentam & turpem victoriam Romam reportauit, aut quod verisimiliùs est (iuuat namque Lucani verbis vti,)

Territa quæsitis ostendit terga Britannis.

Sed hæc poetarum testimonia sunt: veniamus ad historicos. Eutropius de bello Gallico sic scribit: *Nauibus onerarijs, atque actuarijs circiter octoginta præparatis, in Britanniam transuehitur Cæsar, Britãnisq; bellum infert, ibi acerba pugna primũ*

fatigatus, deindè aduerſa tempeſtate correptus, in Galliam reuerſus eſt.

Et poſteà:

Iterum primo vere in Britanniam tranſuectus, equitatus primo congreſſu à Britannis victus, ibiq́ue Labienus Tribunus occiſus eſt, & ſecundo prælio cum magno ſuorum diſcrimine hoſtes in fugam vertit. Huc accedunt quæ ſcripta ſunt à Dione Caſſio conſulari, (magni ſanè nominis viro) *Cæſar cum Britannis contra animi ſui ſententiam bellum compoſuit, poſtulatis adhuc pluribus obſidibus, quorum tamen exiguam partem accepit: Ita in continentem reuectus eſt, & quæ inibi concitata ſe abſente fuerant, ſedauit, nihil neque ſibi, neque Romæ ex Britannia adeptus, &c.* Atque hij quidem domeſtici teſtes ſunt: verumtamen tantum abeſt, vt aut Britannorum fortia facta depreſſerint, aut Cæſaris victoriam altiùs extulerint, vt neſcio quid ſubtriſte & impeditum præ

ſe

ſe ferat oratio. Cui rei fidem quoque facit epiſtola quædam Marci Tullij Ciceronis ad Quintum fratrem, qui tum cum Iulio Cæſare in Britannia militabat. Sic etenim libro tertio ſcribit: *De Britannicis rebus cognoui ex tuis litteris, nihil eſſe nec quod metuamus, nec quod gaudeamus.* Quæ quidem verba apertè indicant Cæſarem nullam (quod iſti inſulſè nimis gloriantur) de Britannis victoriam conſecutum, aut ſi quam adeptus eſt, humilem eam & ſubobſcuram exſtitiſſe.

Alioquin non ſolùm Senatus omnis, populuſque Romanus, (quod fieri ſemper in maximis bellis conſueuit) in gaudium atque lætitiam ſeſe effudiſſet, verumetiam Orator ille (omnium qui vnquam vixerunt) eloquentiſsimus, magnificentioribus verbis tantæ victorię famam exornaſſet.

Verumenimuerò operæpretium erit

animaduertere quemadmodum vbique prudens & perſubtilis orator, rerum minùs proſperè geſtarum rumuſculos orationis ſubtilitate adumbrarit. Etenim eodem libro ad eundem Quintum fratrem hiſce verbis perſcripſit: *Sed me illa cura ſollicitat, angitq; vehementer, quòd dierum iã amplius quinquaginta interuallo, nihil à te, nihil à Cæſare, nihil ex iſtis locis non modò litterarũ, ſed ne rumoris quidem affluxit. Me autem iam & mare iſtuc, & terra ſollicitat, neque deſino ea quæ minimè volo cogitare.* Et alio deinceps loco Cæſarem ex Britãnia ad ſe litteras dediſſe demonſtrat, *Satis commodas de Britannicis rebus.* Quidnam (quæſo) aliud cauſæ fuiſſe putemus, quamobrem huius ſummi artificis in Cæſaris ſemper laude efferueſcens oratio tantoperè refrixerit, niſi quòd res illæ quas in Britannia (vt Cæſaris ipſius verbis vtar) *ſatis* tãtùm *commodè* geſsiſſet, Ciceroni non magnoperè illuſtrãdæ viderentur.

derentur. Quæ certè res (ni fallor) prudentiſsimũ oratorẽ perpulit, vt in ſcriptis & orationibus ſuis, quæ ferè totæ Cęſaris laudibus circumfluunt, verbum tamen nullum, cùm vndiq; omnes dicendi floſculos carpat atq; delibet, omnia vbiq; orationis ornamenta aſciſcat, verbũ tamen (expreſsè) de Britannia nullum faciendum ſibi exiſtimarît. Sed hæc coniectura nituntur. Illud verò quale, ac quãti tãdem momenti eſſe debebit, quod Cornelius Tacitus (& ipſe quoq; Romanus) in hiſtoria ſua de Cæſare ſcriptum reliquit, *Cæſarem oſtendiſſe potiùs Romanis Britanniam quàm ſubegiſſe.* Et deinceps: *Receſſuros Romanos, vt Diuus Julius receſſiſſet, modò Britanni virtutes maiorum ſuorum æmularentur.* Suetonius itẽ Trãquillus nònne omnem fidem commentarijs Cæſaris detraxit hunc in modum ſcribens: *Pollio Aſinius parùm diligenter, parumq; integra veritate compoſitos (Cæſaris*

commentarios putat. Cùm Cæsar plæraq; & quæ per alios gesta erant, temerè crediderit, & quæ per se (vel cõsultò, vel etiã memoria lapsus) perperàm ediderit: existimatque rescripturũ & correcturum fuisse. Hæc ille.

Quid? mores quibus in prælijs vsi sunt, & belli gerendi ratio nónne insignem nostrorum hominũ fortitudinem, & incredibilem in periculis ineũdis audaciam declarant? Quam confligendi consuetudinem Iulius ipse Cæsar, talibus verbis libro Commentariorum quarto explicauit. *In prælijs plærunque vti consueuerunt essedarijs. Genus hoc est ex essedis pugnæ: Primo per omnes partes perequitant, & tela conijciunt, atque ipso terrore equorum & strepitu rotarum ordines plerunque perturbant: & cùm se inter equitum turmas insinuauêre, ex essedis dissiliunt & pedes præliantur. Aurigæ interim paulùm è prælio excedunt, atque ita se collocant, vt si illi à multitudine hostium*

ſtium premantur, expeditum ad ſuos receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, ſtabilitatem peditum in prælijs præſtant, ac tantum vſu quotidiano & exercitatione efficiunt, vt in decliui ac præcipiti loco incitatos equos ſuſtinere, & breui moderari, ac flectere, & per temonem percurrere, & in iugo inſiſtere, & indè ſe in currus citiſſimè recipere conſueuerint. Illi etiam conſultò plerunque cedunt, & cùm paululùm à legionibus noſtros remouiſſent, ex eſſedis deſiliunt, & pedibus diſpari prælio contendunt. Equeſtris autem prælij ratio & cedentibus, & inſequentibus par atq; idem periculum inferebat. Accedebant huc vt nunquam conferti, ſed rari, magniſq; interuallis præliarentur: ſtationeſq; diſpoſitas haberẽt, atq; alij alios deinceps exciperẽt, & recẽtes defatigatis ſuccederent. Huc vſque Cæſar. Diodorus etiam Siculus, qui Auguſti tempore ſcripſit, eundem bellandi morẽ honorificẽtiſsimis verbis expreſsit.

Britan-

Britannicam colunt incolæ Aborigines, qui priſcorum more vitam degunt: Vtuntur in pugna curribus, veluti antiquos Græcorum herôes vſos in bello Troiano ferunt. Vberiùs iſtæc aliquantulum Gyraldus, ſummæ quondam dignitatis vir, ac ſcriptor antiquiſsimus explicauit. Scribit enim ſic: *Gens agilis, gens aſpera, potiùs quàm robuſta, gens armis dedita tota: non enim nobiles hic ſoli, ſed totus populus ad arma paratus habetur. Bellica tuba ſonante, non ſegniùs ab aratro Agricola, quã aulicus ab aula ad arma prorũpit. Nec enim hîc vt alibi redit: Agricolæ labor actus in orbem. Solum quippè Martio & Aprili ſemel aperiunt ad auenas, nec bis in æſtate, tertioq; hyeme ad tritici trituram terras vertendo laborant. Totus propemodùm populus armentis paſcitur. Auenis, caſeo, lacte, & butyro, carne pleniùs, pane parciùs veſci ſolent. Non mercimonijs, non nauigijs, non mechanicis artibus, nec vllo prorſus, niſi*

Martio

Martio labore vexantur. Pacis tamen tutelæ ſtudent, & libertati: pro patria pugnant, pro libertate laborant, pro quibus non ſolùm ferro dimicare, ſed vitam dare dulce videtur, vndè & in thoro turpe, in bello mori decus reputant. Et hij olim reliquiæ Æneadûm in ferrum pro libertate ruebãt. De his hoc etiam ſpectabile, quòd nudi multoties cum ferro veſtitis, inermes cum armatis, pedeſtres cum equeſtribus, congredi non verẽtur: in quo plærunque conflicto ſola ſunt agilitate, & animoſitate victores: illiſq; quorum Poeta meminit ſitu & natura haud diſſimiles. Populi quos deſpicit Arctos
Fœlices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus haud vrget leti metus, indè ruẽdi
In ferrũ, mens prona viris, animiq; capaces,
Mortis, & ignauum eſt redituræ parcere vitæ.

(Et alibi) *Gens leuiter armata, & agilitati potiùs quàm robuſtis viris confiſa, ſi hodiè victa ſit, & cruentam in fugam turpiter*

conuersa, cras nihilominùs expeditionem parat, nec damni, nec dedecoris recordata, & si apertis congressibus bello indicto non præualet, insidijs & nocturnis irruptionibus hostẽ grauat. Itaq; cùm nec fame, nec frigore grauata, nec martio labore fatigata, nec casibus aduersis in desperationem data, sed post lapsum statim resurgere prompta, belliq; discrimina denuò subire parata sit, sicut prælio facile, sic bello difficile vinci solet. Vndè & Claudianus poeta de gentis eiusdem natura sic loquitur.

Si corda parumper
Respirare sinas, nullo tot funera sensu
Prætereunt, tantiq; leuis iactura cruoris.

Hæc ille : Quas equidem laudes omnes Iosephus in Antiocheide eleganti carmine constrinxit :

Inclyta fulsit
Posteribus ducibus tãtis, tot diues alumnis,
Tot fœcũda viris, premerẽt qui viribus orbẽ:
Et fama veteres: hinc Constantinus adeptus
Imperium

Imperium, Romam tenuit: Byzantion auxit.
Hinc Senonum ductor captiua Brennius vrbe,
Romuleas domuit flammis victricibus arces.
Hinc & Scæua satus, pars nõ obscura tumultus
Ciuilis, Magnum solus qui mole soluta
Obsedit, meliorq́; stetit pro Cæsare murus.
Hinc celebri fato fœlici claruit ortu
Flos regum Arthurus, cuius cùm facta stupori
Nõ micuêre minus: totus quid in aure voluptas
Et populo plaudente fauus. Quæcunq́; priorum
Inspice Pelæum commendat fama tyrannum.
Pagina Cæsareos loquitur Romana triũphos,
Alcidem domitis attollit gloria monstris.
Sed nec pinetum cõrili, nec sydera solem
Æquant, annales Latios: Graiosque reuolue.
Prisca parem nescit, æqualem postera nullum
Exhibitura dies. Reges supereminet omnes
Solus, præteritis melior, maiorq́; futuris.

Quæ cùm ita sint, desinant posthac Polydori fautores, & si qui fortè sint qui eam hæresim sequantur, veterum Britannorum famam scriptis violare suis, neque

magni Cæſaris vmbram nobis amplius obiiciant, qui aut nullam domum victoriam, laureámue niſi cruentam, & Romano reſperſam ſanguine reportauit, aut potiùs quod nonnulli autumant, fuſus, fugatuſq; æternam poſt ſe dedecoris memoriam reliquit. Brennum potiùs meminerint Britannum, & Belini Britãniæ regis fratrem, ducem inuictiſsimum, qui eo animi robore fuit, vt cum Romanis in Italia depugnare nõ dubitauerit, ea autẽ fœlicitate vt tres ſimul Tribunos militũ conſulari poteſtate præditos, vno eodẽq; momento cum ingenti ſtrage in fugam verterit: ciuitatem poſtridiè cœperît, captam incenderît, Senatores omnes, vrbiſque primores in ſellis curulibus conſidẽtes trucidarît, mortalium nemini (perindè ac in captis vrbibus fieri conſueuit) pepercerît: cæde, cruore, incendio, cuncta confuderît, nomen denique populi Romani & efflorescentem illam imperij maieſta-

maiestatem penitùs pænè exstinxert: adeò vt aduersa fortuna & desperatione debilitati, vastatam incendijs ruinisque Romam relinquere, & Veios vrbem paulò ab ijs antè expugnatam migrare decreuerint. Meminerint Bundwicam fœminam, sed incomparabili fortitudine fœminam, quæ suis auspicijs septuaginta Romanorum millia prostrauit. Cuius tantus terror vrbem Roamnã (vt scribit Virunnius) peruaserat, & Italiam quoq; omnem, quantus nunquam anteà neque in aduentu Brenni, neq; Pyrrhi, aut Hãnibalis ciuitati incederat. Meminerint Aruiragum Britannici imperij fulmen, libertatem inuitis Romanis rerum dominis conseruantem, atq; toties pro aris & focis fortissimè dimicantem. Denique tot belli duces præstantissimos, tot millia virorum fortium, tot legiones atque cohortes, tot reges militaris scientiæ laude florentes, qui à Bruto vsque ad Caduel-

Iodaurum (qui vltimus Britannorum in Anglia regnauit) meminerint: qui omnes grauiſsimis ſemper atq; periculoſiſsimis impliciti bellis, cum Romanis, Pictis, atq; Saxonibus, (æternis Britannici nominis hoſtibus) decertarûnt. Multa prętereo (neq; enim õnia perſequi in animo eſt) & hæc ipſa quæ dixi, ſingularem noſtrorum hominum virtutem & admirabilem in bellis obeundis fortitudinem abundè ſatis demonſtrant.

Neque minor certè gloria fuit Anglo-ſaxonûm, aut obſcurior in re militari laus & induſtria, qui pulſis deuictiſque Biritannis clariſsimis omnia victorijs triumphiſque decorarûnt. Etenim illud quantæ fortitudinis eſt? quantæ virtutis? quàm admirabilis audaciæ? non dicam quod ſua defenderint, quòd domi bellis diſtricti ciuilibus ſtrenuè ſe geſſerint, quòd foris externo marte laceſsiti præclara militiæ facinora ediderint:

rint: sed quòd longinquas regiones peragrauerint, quòd gentes ferocissimas contriuerint, quòd imperij fines Noruegiam vsque protulerint: quòd finitimas omnes insulas in potestatem redegerint, quòd denique multis & maximis prælijs cum acerrimis nationibus de imperij dignitate contenderint. Ac ne fortè cuiquam in istarum rerum commemoratione magnificentiùs quàm par est, exsultare videatur oratio mea, tabellis veluti obsignatis, confirmandi & testificandi causa agere decreui, quidque hac de re in vetustissimis Anglicanæ antiquitatis monumẽtis inuenerim demõstrare. Ad hunc igitur modum in antiquissimis diplomatibus, quæ multorum pręsulum, principumque sigillis consignantur (sicuti in archetypo videre licet) perscriptum reperitur. *Edwardus Dei gratia, rex Angliæ & Franciæ, & Dominus Hyberniæ, omnibus ad quos præsentes litteræ peruene-*

peruenerint, ſalutem. Inſpeximus chartam confirmationis, Domini Edgari quondam regis Angliæ progenitoris noſtri, quam fecit Oſwaldo Epiſcopo Wigornienſi, & Monachis Wigornienſibus in hæc verba. ✠ *Altitonantis Dei largiflua clementia, qui eſt rex regum, & dominus dominorum, ego Edgarus Anglorum* Βασιλεὺς, *omniumque regum, inſularumque Oceani Britanniam circumiacentium, cunctarumque nationum quæ infra eam includuntur, imperator, ac dominus. Gratias ago ipſi Deo omnipotenti, regi meo, qui meum imperium ſic ampliauit, & exaltauit ſuper regnum patrum meorũ, cui conceſsit cum Anglorum imperio propicia diuinitas, omnia regna inſularũ Oceani, cum ſuis ferociſsimis regibus, vſq; Noruegiam, maximamq; partem Hyberniæ, cum ſua nobiliſsima ciuitate Dublina, Anglorũ regno ſubiugare, quos etiam omnes meis imperijs colla ſubdere coêgi.*

Verùm hæc antiquiora, diutinoque ſupe-

ſuperiorum ſeculorũ ſilentio ſepulta pæ-
nè atq; obliuione obruta iacent: illa verò
recentiora quis pro incredibili geſtarum
rerum magnitudine ſatis comprehende-
rit? Quæ etenim in terris natio, quod re-
gnum, quę gens, vel pacis artibus illuſtri-
or, vel militari laude glorioſior vmquam
exſtitit. Bella quæ à noſtris regibus non
ita multis ab hinc annis inaudita cũ glo-
ria ſuſcepta, geſta, confecta ſunt recorde-
mur, tum demùm intelligemus quanta
fortitudine, virtute, audacia, addã etiam
conſilio, grauitate, prudentia, noſtra ſem-
per regio redundarît. Nullus etenim in
tota ferè Gallia locus, templũ pænè nul-
lum, nulla vrbs, nulla paulò celebrior ci-
uitas, vbi non triumphorum ſuorum in-
ſignia, & victoriarũ tropæa defixerunt.
Mitto hîc Scotiam à noſtris ſæpè exerci-
tibus direptam, vaſtatam, incenſam: mit-
to captos reges: mitto in prælio interfe-
ctos: mitto ſtragem nobilium, cædem
militum,

militum, ruinas vrbium, multaq; alia quę noſtræ genti immortale decus, famamq; perennem pepererũt. Iam verò illa quã-ta ſunt? quàm admirabilia? quàm omni laude, honore, prædicatione digna? quòd vno eodemq; momento noſtri exercitus cum duobus potentiſsimis regibus conflixerint? quòd foris in Gallia Gallum, domi in Anglia Scotum fregerint? quòd nuper pauciſsimis cum militibus, & exigua bellatorum manu, abſente etiam rege, formidoloſiſsimoque bello in Gallia detento, influentes in Angliam Scotorũ maximas copias tumultuaria pænè pugna repreſſerint, exercitum ferè omnem deleuerint, regem denique ipſum interemerint? Quid? maiores noſtri? nònne Galliam vi ac armis ſæpenumerò ſubegerunt? plebem procereſque in ſua verba iurare coegerunt? cõditionibuſq; quibus vellent, obſtrinxerunt? maximi nominis atq; potentię Regem, in bello cœperunt?

captum-

captumque in Angliam perduxerunt? Quibus rebus quid prestantius? quid excelsius? quid in omni pænè seculorũ memoria magnificentius enumerari potest? Atq; hæc omnia publicis sunt litterarum consignata monumentis: tantumq; abest ego vt istæc ad libidinem meam cõfinxerim, vt nostrorũ hominum res gestæ vel inimicis etiam nostris inuitissimis, singularis cuiusdam ac ferè diuinæ fortitudinis confessionem extorserint.

Quãobrẽ ex hijs quæ breuiter exposita sunt (non enim sum copiam quam potui persecutus) cõcluditur profectò, Britãniã (quam hodiè Angliam nuncupamus) sicut vbertate agrorum, varietate fructuum, magnitudine pastionis, omniumque commodorũ opportunitate & copia facilè cæteris omnibus Insulis antecellit: sic rei militaris scientia, atque bellandi gloria insignem semper atq; admirabilem exstitisse. Quæ cùm ita sint, cumque huic

parti abũdè iam ſatiſfactum arbitror: reliquum eſt, quoniam de inſulæ nomine, ſitu, forma, magnitudine, fertilitate, rerumque geſtarum fama curſim quædam (vt potuimus) perſtrinximus, nunc deinceps de ciuitatibus lociſque celebrioribus nonnulla dicamus.

Ac primùm vt à *Cantio* potiſsimùm exordiamur, quandoquidem ea regio oppoſita & obiecta Galliæ, à tranſmarinis partibus commodiſsimũ præbet in Angliam traiectum: manifeſtum eſt regionem illam omnibus ijs rebus abundare, quibus florentiſsimæ quęquæ gentes circunfluere conſueuerunt. Etenim præter ſoli vbertatem, frugifera & immẽſa camporum ſpatia, vicorum, atq; vrbium frequentiam, maris finitimi non minùs vtiles quàm iucundas opportunitates, portuum receſſus tutiſsimos, quibus ex rebus, incredibile dictu eſt, quantum incolæ vtilitatis ac commodi percipiant, illîc

ſunt

ſunt fontes dulciſsimi ac perennes, limpidiſsimis aquis profluentes: illîc ſunt ouium, boûm, diuerſorumque animalium greges paſsim per agros vberes & opimos diſcurrentes: illîc deniq; auium, piſcium, cunctarumque pænè rerum tanta copia, vt ad eam regionem commoditatum omnium, quoddam quaſi mare affluxiſſe videatur. Princeps ciuitas *Cantuaria* dicitur, (olim *Dorobernia* nomen fuit) vrbs ſanè perantiqua, & quondam diuitijs & opibus, & deſcriptione ædificiorum, & ſacrarum ædium pulchritudine, in primis nobilis. Nunc verò vel vetuſtate, vel Caliſij (quod ipſi queruntur) amiſsione, vel ciuium (quod pleriq; autumant) ignauia atq; diſcordia, priſtinum pænè ſplendorem omnem decuſq; penitùs amiſit. Siquidem legulei, ſartores, lanij, pharmacopolæ, cæterique parui atque perangusti animi opifices, (qui in ſordida arte verſatur omnes) auidi lucri,

dediti rixæ, inuidia & æmulatione ſæpe-numerò ardentes, & leuiſsimis plerunq́; de cauſis ſæuis (vt fit) inter ſe nonnunquam & immanibus irarum vndis exæſtuantes, eos malorum fluctus in vrbem inuexiſſe putantur, qui ſtatum ipſius inteſtinis concuſſum diſsidijs incredibiliter dilacerarûnt. Cæterum harum rerum vtra magis rem Cantuarienſium publicam (quondam vt dixi florentem) afflixerit, an ſimul omnes ad perniciem & ruinam, tantæ ciuitatis concurrerint: affirmare temerè, neque audeo certè, neque debeo. Proin rem integram: ijſq́ue dijudicandam relinquo, qui ciuium mores, vſitatamq́; viuendi conſuetudinem meliùs perſpexerunt. Vna tamen in re, cæteris adhuc omnibus Britanniæ ciuitatibus antecellit. Illîc etenim eſt Archiepiſcopi ſedes, ſicuti multis abhinc iam ſeculis

culis fuit. Namque à primo vſque ad *Matthæum Parkerum* antiſtitem ampliſsimum (cui nunc quoque illius eccleſiæ cura incumbit) ſeptuaginta Archipræſules exſtiterunt. Reſtat igitur illud vnicum veluti diuinitùs, afflictæ vrbi, ac pænè iam deploratæ ſolatium, quòd adhuc Archiepiſcopali ſede reſplendeat, totiuſque Angliæ & Cambriæ ciuitas Metropolis cognominetur.

Proxima Cantuariæ *Roffa* eſt: (Nam *Feuerſhamiam*, *Myltonum*, *Syttingburnam*, & interiecta nõnulla oppidula prudens certè prætereo) vetus & illa vrbs ſicut murorum ruinæ, & quædam antiquitatis veſtigia declarant.

Atque hæc quidem de *Cantio* breuiter dicta, ſufficiant: Etenim ſyluas, portus, villulaſque, quæ hinc indè ſparſæ circumiacent, (colitur enim vndiq; & habitatur frequentiſsimè) tranſire decreui,

ne

ne ſi curioſiùs aliquantulum in iſtiuſmodi rebus perſequendis ſubſtiterit oratio, peregrinari nimiùm, & immoderatiùs excurrere videretur. Itaque certum eſt, in cæteris hanc eandem rationem ſequi, nimirum vt nominatis maximis vniuſcuiuſque prouinciæ vrbibus, atque notatis tantùm, reliquas breuitatis cauſa præteruolem. Quod eò libentiùs adducor vt faciam, quandoquidem *Gulielmus Lamberdus*, præſtanti ingenio, eruditione, iudicio vir, nuper iſtæc vernaculo ſermone non minùs eleganter quàm copioſè deſcripſit. Qui (quod eum facturum magnoperè cõfido) ſi in via quam ſemel ingreſſus eſt, perſtiterit, atque eodem penicillo ijſdemq́; coloribus quibus Cãtium depinxit, Angliam nobis omnẽ expreſſam, depictamq́; dederit: equidem non video quid in eo genere ab aliquo alio politiùs poterit, perfectiùſue proferri.

Cantianis proximi ſecundùm Thameſis ripam

ripam meridionalem, ſunt *Suthſaxones* & *Surreyenſes*. Southſaxonum celeberrima ciuitas *Ciceſtria* eſt, Surreyenſium *Guldefordia*. Quanquam & ipſa quoque *Craiduna* partim clarorũ virorum cœtu qui eò quotannis ſemel iuris dicendi cauſa confluere conſueuerũt, partim Archiepiſcoporum Cantuarienſium palatio nobilitata eſt: habent enim illîc exſtructam magnificè, & plenam dignitatis domũ. Quo nomine etiam *Lomethis*, (quæ vulgò *Lambyth* appellatur) atque in extremis Surreyenſis prouinciæ finibus conſiſtit, circunuicinis oppidulis clarior multum & illuſtrior exſiſtit. Etenim poſtquam VVeſtmonaſterij ab Archiepiſcopis Cantuarienſibus habitari deſitũ eſt, (ibidem enim vſque ad tempora regis Richardi, eius nominis primi, ædes habuerunt ampliſsimas ludo (qui nunc eſt) literario aduerſas, VVeſtmonaſterio Lamhithum migrarunt. Vbi cùm de

locorum quorũdam permutatione cum monachis Roffenſibus tranſegiſſent ſibi ac ſucceſſoribus ſuis palatium magnificentiſsimum exædificarûnt. Quod inchoatum *à Baldwino* anno. 1183. dein ab alijs auctũ antiſtitibus, poſtremò a *Mortono*, *Warhamo*, & *Polo* Cardinali renouatum amplificatumq; , ad hanc tantam peruenit (qua hodiè conſpicitur) magnitudinem. Atq; hic quidem (pace tanti antiquarij dixerim) *Johannes Leylandus*, ſi non per errorem lapſus eſt, at certè titubauit aliquantulum, & ignoratione veritatis de via deflexit. Ait enim Archiepiſcopos Cantuarienſes à tempore aduentus Normannorum in Angliam, *Lambithi* ſedem ac domicilium habuiſſe. Quod ſecùs eſſe ex ijs quæ ſuperiùs dicta ſunt quis non videt? niſi fortè plus vni *Leylando* (homini quod non infitior apprimè docto, & in harum rerum ſtudijs non mediocriter

ter verſato) credendum ſit, quàm vetuſtiſsimis antiquitatis Anglicanæ monumentis, quæ certiſsima huius migrationis teſtimonia continent. Addam ipſius *Leylandi* verba, ne qui mihi fortè vitio dent, quod homini multis laudibus claro, & quod familiam ducit antiquario, ignoratæ antiquitatis crimen inflixerim. *Lomithis* (inquit) *id eſt ſinus luteus ſiue Lamithis, vulgò* Lamehyth *notiſsimus Tameſinæ ripæ locus, de quo nihil antiquiùs legi, quàm quod* Canutus Fortis *rex Angliæ hîc inter conuiuia & pocula, vt refert* Henricus Venantodunenſis, *diem obiuerit ſupremum. In confeſſo eſt, Archiepiſcopos à tempore aduentus Nortomannorũ in Angliam, hîc ſedem habuiſſe.*

Baldwynus & Hubertus *Archiepiſcopi, nobile fanum* Lamhythi *erexerunt, decreuerãtq; præbendarios (vt vocãt) ibidem conſtituere. Durouernẽſes monachi*

hoc ægrè ferentes, cum Romano pontifice de fano diruendo egerunt. Postremò Monachis victoribus, ruinam locus passus est, & quidem magnam. Hæc Leilandus.

Southsaxonibus finitimi sunt *Atrabates*, (quos nunc Barcshirenses vocamus) quorum vrbs primaria *Caleua* olim, hodie *Wallingforda* cognominatur. Nam de *Segentio, Pontibus, Spinis, Cunetione*, quæ nunc *Cilcestre*, *Reding*, *Newbery*, & *Malborow* dicuntur (antiquis sanè oppidulis) plura fortasis dicerem, si non ad alia maiora festinaret oratio.

Inter hos & mare siti sunt *Simeni*, quos *Hamshirenses* hodie nūcupamus, quorū amplissima ciuitas *Venta* est, quæ multis abhinc annis fama percelebri fuit, & à Britannis, (qui eo tēpore regionem hanc incolebant) *Caerwynt* dicebatur: nūc autem à nostris *Wyncheſtre* appellatur.

Vndè nō longè distat Portus magnus, (hodiè nomen *Portsmuth*) in cuius ostio

ciuitas

ciuitas erat *Caerperis* olim, iam verò *Portchestre* nuncupata. Est etiam in eadem prouincia *Trisantonis*: portus pulcherrimus atque peramplus: antiqui adhuc nominis vestigia retinens, *Southhāpton* enim hodierno die dicitur. Ex aduerso sita *Vectis* est: Insula clara, fertilis, opima, & Romanorū monumētis celebrata: de qua Leylandus sic scribit: *Vecta siue Vectis Britannicè*, Gueid *vel* Guith, *Anglicè* VVight, *insula tùm Latinis tùm Græcis scriptoribus cognita. In primis autē* Ptolomæo, Plinio, *&* Antonino. Samuel Beulani *discipulus, qui annotationes in* Nennij *Britanni historiam scripsit, hæc dum* Vectæ *interpretationem significanter excutit, refert: Quam Britones insulam* Gueid *vel* Guith *vocabāt, quod nomē Latinè diuortium dici potest. Forma insulæ ouo similima: longa quidem est viginti passuum millia, lata verò decem. Rupes habet litus horrentes. Terra frugum fertilissima,*

ne ſyluæ indiga. Amniculis aliquot commodè alluitur. Neoportus *aliàs* Medena, *vnicum inſulæ emporium. Villæ præterea plus minus.* 24. *in quibus vt plurimum non vicatim, ſed ſparſim habitatur.*

Locus hic admonet vt quod initiò facturum me receperam, id nunc demùm præſtem. Etenim de Inſulis Britanniam circumiacentibus dicturum me aliquid pollicebar: quod quidem libenter facerem, ſi aut ſuſceptæ hiſtoriolę ordo atque natura pateretur, aut non aliò ad ſe inuitaret, & quaſi raperet oratio. Ne tamẽ hanc partem intactam prorſus relinquerem, aliquid hac de re dicẽdum mihi hoc tempore exiſtimaui, hortans nihilò tamẽ ſeciùs omnes, qui talium rerum deſiderio tenentur, auctores vt conſulant eos, qui iſtęc pleniùs & vberiùs in commentariolis explicarûnt ſuis.

Eſt igitur Anglia (quemadmodum ſuperiùs demonſtratũ eſt) multis clariſsimis

mis insulis circundata, quarũ aliæ remotiores sunt, & longiùs disiunctæ, aliæ verò veluti paruæ filiolæ, matri magnæ circunfusæ. Harum omnium maximæ sunt, *Vectis* (cuius paulò antè mentionem fecimus) *Meneuia* (quam Ptolomæus *Monoada* appellat: nostri *Man*) & *Mona*, de qua deinceps dicemus. Nam de *Teneta*, *Sheppeia*, *Ely*, *Axholmia*, *Aualonia*, & cæteris, (quæ quò angustioribus definitæ terminis sunt, eò fama semper minori exstiterunt) hoc tantùm in oratione ponam mea, insulas illas fertiles esse & peramœnas, & rebus pænè omnibus ad vitã necessarijs redundantes.

Mona itaq; ea est quã *Angleseiam* hodiè nominant: cuius Cæsar commentariorũ libro quinto meminit, *Monamq;* eam appellat. Quanquam *Polidorus* ex *Mona*, *Manam* fabricare conetur, homo vtique non indoctus, sed qui vel ignoratione & inscitia, vel (quod pleriq; putant)

putant) maleuolentia, & neſcio qua gloriolæ cupiditate occœcatus, denſiſsimis identidem errorum nebulis veritatem inuoluerit. Quæ res mouit *Humfredum Lhuid* & *Johannem Leilandum* (ſummæ equidem in antiquitate perluſtranda, induſtriæ viros) vt immoderatã iſtam *Polidori* in vrbium, locorum, ciuitatumq; nominibus depraua ndis licentiam hiſce verbis perſtringerẽt. Ac primùm *Humfredus Lhuid* eleganti quadam epiſtola, quam nuper cum ſuo totius orbis terrarũ Theatro *Abrahamus Ortelius*, (præſtantis & eruditionis & ingenij vir, coniunxit, ſic ſcribit: *Reſtat* (inquit) *de* Monæ *inſulæ nomine & ſitu, quæ apud antiquiores, & modernos authores obſeruaui, quæque ipſe exeperientia & ex linguæ Britannicæ cognitione didici, tibi cui aliquid denegare quod vires meæ præſtare poſſint, apud me piaculi loco erit, aliquid ſcribam, quamuis ſcio me hoc facilitando nomẽ meum multorum

multorum calumnijs exponere, quia errores ſemel imbibiti difficillimè euelluntur, maximè cum Polidori Virgilij *viri docti, & non vulgaris eloquentiæ authoritate confirmentur, ſed pace eorum dixerim, virum hũc annales ſuos manifeſtis erroribus & mille mendis impleuiſſe, idq́ non ſolùm ei accidiſſe ob imperitiam linguæ Britannicæ, ſine qua nec nomen ipſius inſulæ rectè intelligitur, cũ alij per* p, *alij per* b, *alij per* ph, *litteras ſcribunt: ſed etiam quòd meliores authores non legerit, vel quòd inuidia Britannici nominis tumens*, Gulielmi *cuiuſdam & re & nomine* Parui, (*ſpretis melioribus, eorumq́ue authoritates paruipendens, ſibiq́ue nimium tribuens*) *cœcutientis, cœcus veſtigia ſecutus ſit: Sed crepat licet Britannicæ gloriæ vellicator impudentiſsimus: dum exſtant inter Græcos* Diodorus Siculus, Dion Caſsius *bis Conſul*, Herodianus, Plutarchus, Pauſanias, Ptolomæus, & Strabo: *inter Latinos* Cæſaris commentaria, Cornelius

Eutropius, Suetonius, Orosius, Ælius Spartianus, Iulius Capitolinus, Ælius Lampridius, Flauius Vopiscus, Aurelius Victor, Amnianus, Marcellinus, Sextus Rufus, Panegyrica Mamertini, *& aliorũ*: Plinius, Antoninus, Mela & Solinus, *præter annales antiquißimos Britannicè scriptos*, Gildas tres, Nenium, *& clarioris eruditionis multos alios, qui res Britannicas scriptis suis illustrauêre*: Asserius, Obbernus, Felix, Monumetensis, Huntingtonensis, Malmesburiensis, Annouillanus, Iscanus, Necchamius, Giraldus Parisiensis, Triuettus, *& infiniti alij. Crepat* (inquam) *licet imperiosus* Vrbinas, *& clarißimis* Britãnorũ *rebus gestis oblatret, dũ hi claßicũ Britannicæ gloriæ cãtẽt, nusquã poterit mẽdacißimis suis calũnijs* Britãniæ *decus & nominis famam à tot clariß. viris decantatã, vel obscurã reddere, vel aliqua infamia inurere. Iam ad* Monã *redeũdũ est, quã* Polydorus *satis pro imperio no-*
[illegible] priuauit anonymãq́ reliquẽs

Menauiã *vtroq́ decorauit: quod facilè, & ex* Romanis, Græcis, *&* Britãnicis *scriptoribus, & incolarũ lingua hunc in modum probatur.* Eundẽ in finem, sed mitiùs aliquantulũ *Leylandus:* Mona, *Britannicæ terræ* Mone. *Hæc ab* Anglis *vi occupata,* Angleſey *dici cœpit, id eſt,* Anglorũ insula. Polydorus Virgilius *cõtẽdit miris modis ex* Meuania Monam *facere: ſi nomen quod vel adhuc retinet, ſi vrbs quæ è regione ſita eſt, vnde & nomen* Aruone, *pro* Ar-Mone *habet, ſi traiectus breuiſſimus quidẽ ille, cuius & Romani ſcriptores meminerũt, ſi* Penmona *promõtorium, quæ dictio caput* Monæ *ſignificat. Si arborũ ingentes trunci ac radices ſabulo obtectæ, quæ latè per* Monæ *litora eruũtur. Si abietes miræ lõgitudinis in vliginoſis cãpis, paſſim ſub terra inuẽtæ, nõ ſatis probãt eã* Monã *fuiſſe, quæ nũc* Angleſey *vocatur: nihil amplius in præſẽtia dicã, niſi quòd decimo quarto apud* Tacitũ *libro hæc legerim. Exciſiq́ luci ſæuis ſuper-*

ſtitionibus ſacri. Ego verò (& meritò) aſſurgo Polidoro. *Præſtitit in hiſtoria quæ potuit optima, ſi meliora potuiſſet, facilè quidem voluiſſet. Quo nomine & poſteritas multum illi debebit. Sed vt conniueam in meridie, & indulgeam manifeſtis erroribus, qui frequentiuſculè erudito occurrunt lectori, ſiue ille per ignorantiam, ſiue vt candidus interpretor per incuriam peccauerit, mihi nec commodum nec æquum videtur. Quando amor erga patriam meus, & veritas ne faciam, prohibent, & quidem ſeuerè. Mihi quidem ſi eſſet cum eo familiaritas vlla, libere eum, at opportunè, interim nec minùs candidè & modeſtè admonerem, vt ſexcẽtas eiuſmodi maculas in hiſtoria quam edidit, elueret.* Hucuſque *Leylandus.*

Quam eandem *Polidori* temeritatem ſeu mauis petulantiam reprehẽdit etiam *Priſcus* ſcriptor politiſsimus: *Mona* (inquit) *inſula, quam Angli nũc* Angleſey *appellant, etiam nunc antiquum nomẽ inter Brytan-*

Britannos Cãbrenſes retinet, nempè Môn *dicta. Tametſi* Polidorus *ob linguæ Britãnicæ ignorantiam, & quia alia non multùm diſtans Inſula* (Man) *apud Anglos nunc vulgò appellatur, illam videlicet* Mônam *eandem quam* (Man) *nunc Anglicè vulgò appellant, fuiſſe putat, interim neſcius, quod & hæc quæ* (Man) *Anglicè dicitur,* Mônoada *olim à* Ptolomæo, *& antiquis, & nunc etiã à Britannis* (Manaw) *affini vocabulo vulgò dicitur. Vndè videre eſt, vtramque inſulam antiquitatis expreſſa veſtigia adhuc retinere apud Britannos.*

Quid quod *Plinius* harum quoq; trium inſularũ mentionem fecerit, & duas ſuis nominibus appellarît, tertiam, (quanquã obſcurè) aliquantulũ tamen ſubumbrarît: *Inter* Hyberniam *&* Britanniam *ſitæ ſunt* (inquit) Mona, Manapia, *&* Vectis *inſulæ. Monam &* Vectim antiquis nominibus inſigniuit: & eã quã nos hodie *Mân* appellamus, *Manapiam* nũ-

cupauit. Prætereà *Cæſar* ſcribit eam in medio curſu eſſe inter *Angliam* & *Hyberniam*, ſuoque nomine *Mônam* appellat, quo quid dici poteſt apertiùs ad reprimendam ſcriptoris inconſideratiſſimi vanitatem? Tres itaque (quod anteà dictũ eſt) propè *Britannam* inſulæ ſunt, finitimarum omnium inſularum maximæ. *Man* (veteri adhuc nomine inſignis) *Mona*, (quam *Angleſeyam* hodiè appellamus) & *Vectis*. De quibus *Henricus Huntington* ad hunc modum ſcribit: *Tres maiores inſulæ Britanniæ ſunt* Orchades, Man, Mona, (Liſeuboniam, *vel* Euboniam, *vel* Eufoniam *vocat*) *quæ in vmbilico maris inter* Hyberniam *&* Britanniam *ſita eſt: Tertia* Guith *cõtra* Normannos, *de quibus dicitur in prouerbio, iudicabit* Britãniam *cum tribus inſulis*. Hæc *Henricus*. Videamus nũc quid de remotioribus inſulis veteres ſcriptores tradiderint. *Antonius* ait: *In mari Oceano, quod* Gallias

Gallias & Britanniam *interluit, ſunt inſulæ Orchades*, Glota, Vierione, Vecta, Riduna, Sarnia, Cæſaræa, Barſa, Biſia, Andium, Sicdelis, Vixantiſma, Vindelis, Siada, Iga. *Sunt* (vt inquit *Plinius*) *qui aliâs prodant*, Scandiam, Dumnam, Bergos, *maximamq; omnium* Nerigon, *ex qua* in Thyle *nauigetur*. Addunt etiam nonnulli numerum, inter quos eſt *M. Capella*, qui ſic ſcribit. *In vltimo eius, ſylua* Caledonia, *inſulæque quamplures, inter quas* Orchades *ſunt, quadraginta pænè iunctæ*. Et *Mela*, cuius hæc ſunt verba: *Quadraginta ſunt* Orchades, *angustis inter ſe diductæ ſpatijs: Inſulani ſtatura ſunt procera, ſemper ſano fermè corpore, pariter atq; mente, quo fit vt longiſſimam vitã degant, etſi piſcibus plurimùm victitent, nam terra cõtinuò propemodùm frigore obſita, multis in locis vix frumentum fert, arborem verò pænè nullam*. Conſentit cũ vtriſq; Plinius: *Quadraginta ſunt* (inquit)

Orchades

Orchades *modicis inter se discretæ spatijs. Solinus* item de Hebudibus hæc tradit: *Multæ sunt circa* Brytanniam *insulæ, è quibus* Thyle *vltima, in qua æstiuo solstitio, sole de Cancri sidere faciente transitum, nox pænè nulla brumali solstitio, dies adeò conductus vt ortus coniunctus sit occasui. Vltra* Thylem *accepimus pigrum esse & concretum mare. Inde à* Caledonio *promontorio* Thylem *petẽtibus bidui nauigatio est. Indè excipiunt* Hebudes *insulæ quinque numero, quarum incolæ nesciunt fruges, piscibus tãtùm & lacte viuunt. Rex vnus est vniuersis, nam quotquot sunt, omnes angusta interluuie diuiduntur. Rex nihil suum habet, omnia vniuersorum, ac ne auaritia diuertat à vero discit paupertate iustitiam, vtpotè cui nihil sit rei familiaris, verùm alitur è publico.* Atque hæc cursim strictimq; de Insulis, nunc ad reliqua denuò reuertamur.

Simenos ordine consequuntur *Seueriani*

nunc

nunc *Wylſhiremen* dicti; horum nobiliſſima ciuitas *Caerſeuerus*, alijs *Caercaradoc*, à noſtratibus hodiè *Seuerisbury*, vel corruptè *Sarisbury* cognominatur. Inter hos eſt nobilitatus ille Britannorum heroûm clade locus, qui *Mons Ambroſij* appellatur, hodiè *Stoneheng*: vbi immenſæ magnitudinis ſaxa conſpiciuntur, modo tam incredibili conſtructa coagmentataq;, vt omnes (qui vnquam conſpexerunt) in admirationem tãtæ ac tam inauditæ ſtructuræ conuerterint. De quibus *Henricus Huntington* quodam in loco ſic ſcribit: *Quatuor autem, ſunt quæ mira videntur in* Anglia, *primum quidem eſt, quòd ventus egreditur è cauernis terræ, in monte qui vocatur* Pec, *tanto vigore, vt veſtes iectas repellat, & in altum eleuatas procul eijciat. Secundum eſt apud* Chedernhole, *vbi tam magna cõcauitas eſt ſub terra, vt eam multi ſæpè ingreſſi ſunt, & ibi ſpatia magna terræ, & flumina pertranſierint, nunquam ta-*

men ad finem eius venire potuerint. Tertiũ est, quod in quibusdam partibus, pluuia videtur eleuari de montibus, & sine mora per campos diffundi. Quartum est apud Stanengs, *vbi lapides miræ magnitudinis in modum portarum eleuati sunt, ita vt portæ portis superpositæ videantur, nec potest aliquis excogitare, qua arte tanti lapides adeò in altum eleuati sint, vel quare ibi constructi sint.* Hucusque *Huntingtonus.* Præterea in *Seueria* est etiam & altera non minùs ferè nobilis vrbs, quæ *Shaftesbury* nominatur, à Britannis olim *Caerbaladin*, & *Caersepton* dicebatur. Hijs finitimi sũt *Durotriges*, Brytãnis *Durugueir*, Anglis *Dotsetshyremen* dicti : à quibus non longè absunt *Damnonij*, (*Deuonshyremen* hodiè vocantur) quorum amplissima ciuitas *Isca* est, cui olim *Augusta* nomen fuit, & *Caerwyck*, nunc à nostratibus *Excestre* cognominatur.

Proxima & vltima omniũ *Cornauia* est, inco-

incolis *Cernico*, ab Anglis *Cornwallia* dicta. Suprà *Damnonios* sita est *Murotrigũ* regio, quæ Britannis *Guladarhaf*, Anglis verò *Somersetshyre* dicitur. Huius prouinciæ vrbes primariæ sunt, *Ilcestre*, *Bristou*, & *Bath*, in qua sunt aquæ calidæ, è terræ quasi venis atq; viscеribus mirabiliter ebullientes, humanisque coporibus, tabifica lue aut morbo contactis, admodùm salubres. Ab hijs non longè absunt *Dobuni*, siue *Claudiani* (*Glocestrenses* nostri nuncupant) tribus ciuitatibus, *Glocestria*, *Cicestria*, & *Malmsburia* insignes.

Regiones quæ ad australem Thamesis orã sitæ sunt indicauimus omnes, reliqua nunc eodem quo cœpimus ordine, consectabimur. Et primò contra *Cantium* ex altera parte Tamesini fluuij sunt *Trinouantes*, qui hodiè à nostratibus *Estsaxones*, & *Mediosaxones* appellantur, quorum princeps ciuitas *Londinum* est,

olim *Trenouantum* dicta, vrbs Anglicarũ omnium maxima, pulcherrimaq;. Nam & ſitu eſt tùm egregio, tùm ex omni aditu, vel terra, vel *Tameſi*, (qui fluuius vrbem præterfluit) ad aſpectum præclaro: dein templis, ædificijs, lociſq; tam priuatis quàm publicis, ita ornata atque diſtincta, vt longè cęteris omnibus ciuitatibus, & ſpecie & magnitudine antecellat. Nec me certè mouet, quòd *Polydorus*, (vir vt ſæpè iam dixi, in rebus noſtris explicandis minùs caſtè integreq; verſatus) aliter aut ſenſerit, aut ſe ſentire finxerit, præſertim cùm tot vbique præſtantiſsimorum hominum ſcripta illius commentitias futileſque coniecturas, atque ineptias (plus pænè quàm aniles) detexerint. *Trinouantibus* proximi ſunt *Iceni*, quorum ciuitas *Venta* eſt, ea, quã noſtrates hodiè *Norwycum* nuncupant. Quam quoniam ornandam quoad potero, meiſque ſcriptis celebrandam ſuſcepi: non committam,

vt

vt quas laudes illius pulcherrimæ vrbis perpetua oratione (cùm ad id loci peruenero) perſequi decreueram, eas nunc in hoc rapidiſsimo orationis meæ curſu, feſtinantiùs quàm par eſt, explicem atq; profundam. Quãquam mirari ſatis certè non poſſum, quid *Polidoro* in mentem venerit, regionem vt hanc *Nordouicenſem*, ciuitatem verò *Nordouicum* appellandam exiſtimaret, atque ex *Ordiuico*, peritiſsimus proculdubiò vrbium architectus) vnica tantùm litterula adiecta, *Nordouicum* tam ſubitò conſtrueret. *Vna ſolummodò præter* Londinum *ciuitas* Ordouicum (inquit) *nomen vetus retinet, tametſi nos addita* N. *littera in principio,* Nordouicum *vocamus.* Hunc in modum purus ille ſcriptor, & rerum (quod profitetur) Anglicarum fidiſsimus interpres, ea quæ certis locis, temporibus, atque nominibus diſtincta ſunt, ſingulari quadã temeritate atq; audacia permiſcet

ſemper atque confundit.

Pryſæus (auctor ſanè grauiſsimus) in hiſtoria ſua hac de re ſic ſcribit: *Quale eſt illud quod de* Ordouicibus Polydorus *cẽſet, hanc videlicet ciuitatem ſolam, præter* Londinum, *antiquum nomen, videlicet* Ordouicũ *in hæc tempora retinuiſſe, quod de* Norwyco *ciuitate, nunc ad orientis inſulæ extremum latus poſita innuit, cùm* Ptolomæus Ordouices *planè ex Diametro, videlicet ad extremum Occidentis inſulæ* Britanniæ *conſtituit. Nec ipſa loci longitudinis aut latitudinis vllo modo ratio patiatur eos vbi* Norwycum *eſt, conſtitui: Nec dum tempore* Ptolomæi Saxones, *vndè hoc vocabulum* Norwich, *dubio procul originem traxit, in hanc inſulam applicuerant, videlicet à* (North) *&* (VVich) *quod Latinè ſonat,* Aquilonaris vicus, *quod* Polydorum *minimè obſeruaſſe plurimùm admiror.* Ordouices *etiam non ciuitatis, ſed gentis nomen erat,*

Nec

Nec omninò verum eſt, quod cætera loca omnia ſua antiqua nomina penitùs amiſêre, vt Polydorus *in ſuggillationem hiſtoriæ receptæ aſſerit. Quippè* Londinum *quod* London, *&* Eboracum, *quod non ita pridem* Euerwyck: *Venta,* VVincheſtre, Triſantonis hoſtia, Sowthampton: Cantium, Kent: Sabriana, Seuerne: Corinij, Corniſmen: Dannonij, Deuonſhyre men: Tameſis, Tames: *multiq́ alij loci atq́ vrbes palàm faciunt, non omnia vt* Polydorus *cenſet, huius inſulæ loca ſua antiqua nomina amiſiſſe.* Hæc ille. Sed de *Polydoro* ſatis: Nos eò, vndè defluxit oratio reuertamur.

A Norwicenſibus non longè diſtant *Cantebrigienſes*, quorũ ciuitas olim Britãnis *Caergrant*, & ab antiquioribus Anglis *Grãteceſtre* (à flumine vrbẽ prętерlabẽte) dicebatur, nũc verò vulgò (ſed corruptè) *Cambridge* appellatur. Academia omniũ celeberrima, eruditiſsimiſq; ſemper hominibus

minibus atq; liberaliſsimis bonarum artium ſtudijs florentiſsima. Cuius & vrbis & Academiæ antiquitatem, & cum antiquitate dignitatem, *Ioannes Caius* nuper eleganti volumine cõplexus eſt. Nec procul indè diſsitæ ſunt hæ gẽtes, *Catychlauni*, ſiue *Hertfordiẽſes*, *Buckinghamenſes*, *Hũtingtonẽſes*, *Bedfordienſes*, *Oxonienſes*, & poſt hos, *Lincolniẽſes*, *Leiceſtrẽſes*, *Nortauondunẽſes*, *Staffordiẽſes*, *Waruicẽſes*, *Wigornienſes*. Hertfordienſium ciuitas fuit *Verolamium*, vrbs perantiqua, & *Saxonum* furore funditùs exciſa, cuius etiam adhuc veſtigia quædam manent, & mœniorum ruinæ, cis amnem non lõgè à fano diui (vt vocant) Albani. Nunc inter cæteras eius prouinciæ vrbes, *Hertfordia*, (nationis inſignita nomine) principem locũ obtinet. Eodem modo *Buckinghamenſium*, *Huntingtonenſium*, *Bedfordienſium*, *Oxonienſium*, *Lincolnienſium*, *Leyceſtrenſium*, *Nortauondunenſium*, *Warui-*

Waruicẽſium, Staffordienſium, Wigornienſium, primarię vrbes omnes (*Staffordienſium* duntaxat excepta, quæ *Lychfeldia* nuncupatur, gẽtium nominibus inſigniuntur, ſiue (nam id quoq; incertum eſt) gentes ſibi vrbium, an vrbes gẽtium vocabula contraxerunt. Inter has maximi nominis vrbs *Oxonium* eſt (ſecũdùm *Cãtebrigiã*) nobiliſsima, & antiquiſsima totius pænè terrarum orbis Academia. Sequuntur *Salopienſes*, quorum antiquiſsima ciuitas *Vricouium*, Saxonico perculſa bello, funditùs concidit: hodiè *Salopiam* habent vulgò dictã *Schreusbury*, vrbem non multò minùs nobilem & illuſtrem. Dein ſunt *Deuani*, ſiue *Ceſtrenſes*, & non procul ab hijs *Doruentani*, qui nunc *Derbienſes* dicuntur. *Deuanorum* ciuitas maxima ea eſt, quam in hunc diem Britanni *Caer Lheo Ddourduw* nuncupant, veteres Latini *Deuam*, Angli *Legancestre* appellarunt, quam eandem hodiè breuius e-

quidem ſed multò corruptiùs) *Cheſtre* cognominamus. Derbiēſium vrbi *Dorguent* quondam nomen fuit (ab albis aquis ſic dicta:) quæ vox longo tēporis interuallo, inflexa nonnihil, atq; paululùm immutata, à *Dorguent*, ad *Derby* iam tandem deuenit. Vltimi omnium ſunt *Snottingomenſes*, nunc *Notyngamenſes* dicti, *Eboracenſes*, *Northumbrenſes*, *Weſtmerlandenſes*, *Cumberlandenſes*, *Lancaſtrenſes*. *Notingamenſes* ciuitatem habent ſuo nomine percelebrem atq; inſignem, (*Notynghamia* etenim nuncupatur) poſitaque eſt in ſummo colle, pellucidis vndique amnibus ac riuulis circunflua. Ea autem eſt vicinorum vrbi natura locorum, ſiue amœnitatem agrorum, ſiue vbertatem ſpectes, vt illic potiſsimùm conſtituti ciues videantur, quò omnibus tùm vitæ commodis, tùm voluptatibus circumfunderentur.

Eboracenſes olim *Brygantes* dicebātur, pugna-

pugnaciſsima gens, & *Romanorum, Pictorum, Scottorum, Saxonũ*, atq; *Danorum* aduerſa ſemper, atque inimica tyrannidi, adeò vt perpetuò illorum rapinis obſtiterint, neq; vnquam ne aſsiduis quidem fracti bellis conquieuerint. Horum ciuitates *Ptolomæus* nominat, *Eboracum, Bynionium, Calatum*, vel *Calcaria*, *Rhygodunum*, *Olicana*: quæ hodiè à noſtris *Yorcke, Byneceſtre, Tadcaſtre, Rippon*, & *Haligfex* denominantur. Harum omnium maxima, ampliſsima, atque auguſtiſsima ciuitas *Eboracum* eſt, totius prouinciæ Metropolis, atq; Archiepiſcopali nobilitata ſede, quæque ſecundùm *Londinum*, ſummę eſt & dignitatis, atq; magnitudinis: multis clara triumphis, atque nobilium regum ducumq; illuſtrata victorijs. A Britãnis olim *Caerfroc*, ab Anglis verò (vt anteà dixi) *Euerwick*, & nũc (contractiùs aliquantulũ, ſed corruptiùs) *Yorck* appellatur. *Northamhymbrenſes*,

Westmerlandenſes, Cumerlandenſes, atque *Lancaſtrenſes*, has habent præ cæteris principes dignitate vrbes, Northumbrẽſes *Nouum caſtrũ*, VVeſtmerlandij, *Applebeiam*, Cumerlandij *Carliolum*, (ciuitatem nobilem, antiquam, & ſplẽdidam, (olim *Luguballia* nomen fuit) Lancaſtrenſes *Mediolanum*, quæ *Lãcaſtre* dicitur, & *Mancuuium*, cui nunc *Manchester* nomen eſt.

Neq; miretur hic quiſquam, quòd vetera vrbium nomina obliuio iam pænè obruerit, præſertim cùm *Saxones*, poſtquàm per vniuerſam pænè Angliam, lõgè lateque victorias diſſeminarûnt ſuas, cũctis locis aut noua prorſus nomina indiderint, aut antiquiora ob linguę (vt fit) inſcitiam penitùs deprauauerint. Patet hoc ex ijs quæ *Henricus Huntingtonius*, (ſcriptor grauiſsimus) hac de re memorię mãdauit: cuius ex verbis liquidò perſpici poteſt, non ſolùm quemadmodum

Saxones

Saxones antiquiſsima vrbiũ nomina immutarûnt, verumetiam vtpotè regnum vniuerſum in prouincias atque pagos diſtribuerunt. Hæc igitur ille : *Ciuitatum nomina quondã hæc erant, Britannicè* Caer Ebranc, *Eboracum* : Caer Chent, *Cantuaria* : Caerguragon, *Wigornia* : Caer Londone, *Lundonia* : Caerlyrion, *Leiceſtre* : Caercollon, *Colcheſtre* : Caer Glow, *Glouceſtre* : Caercey, *Ciceſtre* : Caeroder, *Briſtow* : Caercery, *Cirenceſtria* : Caergwent, *Wynceſtria* : Caer Grant, *Granteceaſtria*, (*quæ modò dicitur* Grantebrigia:) Caerlion, *quam vocamus Carleuil* : Caerdauri, *Doroceſtria* : Caer Dorin, *Dormeceſtria, quæ ſita eſt in* Hunthedun *prouincia, ſuper flumen quod vocatur* Nen, *penitùs deſtructa eſt* : Caerlotthiot, *Lincolne* : Caermardin, *quæ nunc quoque ſic vocatur*, Caer ſegènt, *Sylceſtre*. Hæc erant nomina ciuitatum tempore Romanorum & Britãnorum. *Præterea*

Caerguercon, Caer Gucerat, Caer Gortegrin, Caer Vruac, Caer Celemiõ, Caer Megniad, Caer Licilid, Caerperis, Portcheſtre, Caerlegion, *in qua fuit Archiepiſcopatus tempore* Britonum, *nunc autem vix mœnia eius comparent, vbi* Vſca *cadit in* Sabrinam. Caer Draiton, Caer Marcipit. Et alio deinceps in loco: *Britannia etiam ciuitatibus quondam nobiliſſimis viginti nouem inſignita fuit, præter caſtella innumera, quæ & ipſa muris, turribus, & portis, ac ſeris erant inſtructa firmiſſimis. Quando autem* Saxones *hanc terram ſibi ſubiugauerant, reges ſeptem ſtatuerunt, regniſq; nomina pro libitu impoſuerunt. Primum regnum vocatum eſt* Kent, *ſecundum* Sudſeax, *in quo ſita eſt* Cyceaſtria: *tertium* Eſtanglia, *in quo ſunt prouinciæ quæ vocantur* Nordfolc, & Sudfolc. *Quartum eſt* VVeſtſeax, *cuius caput erat* VViltonia, (*quæ nunc data eſt ſanctimonialibus*) *in quo ſunt vrbes* VVinceaſtria, Saleſ-

Salesberia, *& plures aliæ. Quintũ* Nordhumbriæ, *in quo eſt* Eboracum. *Sextum regnum eſt* Eaſtſex, *quod non duraui diu, ſed certis regnis ſubiugatum eſt. Septimum* Merce, *in quo eſt* Lincolnia, Leiceſtria, *& aliæ complures. Poſtquam autem reges* VVeſtſeax *cæteris præualuerunt, & monarchiam obtinuerunt, terras per viginti quinque prouincias ſibi diuiſerunt, quarum ſitus & nomina ſcribere nõ piguit, quamuis habitatoribus notiſsima ſint. Deueniet enim forſitan, vt quemadmodum nomina ciuitatũ prædicta, quæ olim grata & excelſa erant, modò in barbariem & riſum vertuntur, ita etiam decurſu temporum, quæ modò notiſsima ſunt, incognita & incredibilia fiant: vndè patet quàm miſerè & fruſtrà nominis noſtri famam incolæ prouinciarum appetamus, cùm nec ipſarum vrbium, vel prouinciarum durare poſſunt.* Atq; hæc de ſeptem regnis & ciuitatibus, videamus viciſsim quid de prouincijs tradiderit.

Prima

Prima prouincia (inquit) Kent, *in qua Archiepiſcopatus eſt* Cantuariæ, *& epiſcopatus* Roueceaſtriæ. *Secunda eſt* Sudſeax, *in qua eſt epiſcopatus* Ciceaſtriæ: *Tertia* Sudrie: *quarta* Hantſhyre, *in qua eſt epiſcopatus* VVintceaſtriæ: *quinta eſt* Bercſhire: *ſexta* VViltſhire, *in qua eſt epiſcopatus* Salesbyrię: *ſeptima eſt* Dorſet, *octaua* Somerſet, *in qua eſt epiſcopatus* Badhę: *nona* Dauenſhyre, *in qua eſt Epiſcopatus* Exceaſtriæ: *decima eſt* Cornualliæ: *vndecima eſt* Eſſex: *duodecima*, Middelſex, *in qua eſt epiſcopatus* Lundoniæ: *Tertia decima*, Sudfolc: *quartadecima*, Nordfolc, *in qua eſt epiſcopatus* Norwici: *quinta decima* Cantebrigeſhyre, *in qua epiſcopatus* Ely: *ſextadecima* Lincoleſhyre, *cuius caput eſt* Lincolnia, *cui ſubiacẽt ſex aliæ prouinciæ, ſcilicet, prouincia* Leiceſtriæ, & Hantoniæ, & Huntyndoniæ, & Hertford, & Bedford, & Buckyngham, & Oxenford, *extenditur enim Epiſcopatus* Lincol-

Lincolniæ *à magno flumine* Humbri, *vsque ad flumen* Tameſis. *Viceſima quarta eſt* Glouceſtreſyre, *viceſima quinta* VVyreceaſtreſyre, *in qua eſt epiſcopatus* VVigorniæ: *viceſima ſexta* Hereford-ſyre, *in qua eſt epiſcopatus* Herefordiæ: *viceſima ſeptima*, Salopſyre: *viceſima octaua* Ceaſtreſyre, *in qua eſt epiſcopatus* Ceſtriæ: *viceſima nona*, VVarwic: *triceſima* Stafford. *Poſt trigeſimam prima eſt* Derby, *ſecunda* Notingham, *tertia eſt* Euerwyckſyre, *in qua eſt epiſcopatus* Eboraci: *quarta eſt* Nordumberland, *cui præeſt Epiſcopus* Dunelmiæ: *quinta illa regio, in qua eſt nouus epiſcopatus* Carluil. Sira *verò Anglicè, Latinè prouincia dicitur, igitur decem & ſeptem epiſcopatibus inſignita noſtro tempore floreſcit* Anglia. *Vrbes verò multò plures ſunt quàm epiſcopatus, vt* Glouceſtria, Leiceſtria, Oxenfordia, *& aliæ plures Epiſcopis carentes.* Quamuis nunc vtraque ciuitas & *Glou-*

ceſtria, & Oxenfordia ſuos habẽt Epiſcopos. Ex hijs omnibus liquet, quantum poſt deuictos *Britannos*, in rebus ſuis cõſtituendis *Saxones* elaborarint: quam curam in propagandis imperij ſui finibus adhibuerint: vtpotè nominibus nouis, vrbibus, atq; prouincijs impoſitis, vetuſtiora deleuerint: denique quemadmodũ regionatim, vicatimque gentem omnem diſpertiuerint. Quid quod non minori etiam cura publicæ vtilitati proſpectum eſt, cùm vijs quatuor, latis atq; perpetuis, itinera trans *Angliam* pænè omnia diſtinguerent, eiuſq; facinoris perpetuitatem atque memoriam ſolennibus edictis decretiſque deuincirent? Qua de re ad hunc modũ libro primo *Henricus Huntingtonſcribit: Tantæ autem gratiæ inhabitantibus fuit* Britannia, *quòd quatuor in ea calles, à fine in finem conſtruerent, regia ſublimatos autoritate, ne aliquis in eis inimicum ſuum inuadere auderet. Primus eſt*

ab

ab Oriente in Occidentem, & vocatur Ichenild. *Secundus est ab Austro in Aquilonem, & vocatur* Ermingestrate. *Tertius est ex transuerso à* Dorobernia *in* Cestriam, *scilicet, ab* Euroauſtro *in* Zephyrum *Septentrionalem, & vocatur* VVatlingstrete. *Quartus maior cæteris, incipit in* Catnes, *& desinit in* Fotnes, *scilicet à principio* Cornwalliæ, *in finem* Scotiæ, *& hic callis vadit ex transuerso, à Zephyro Australi, in Eurum septentrionalem, & vocatur* Fossa, *tenditq; per* Lincolniam. *Hij sunt quattuor principales calles* Angliæ, *multũ quidẽ spatiosi, sed nec minus speciosi, sanciti edictis Regũ, scriptisq; verendis legũ.* Hæc ille. Vndè facilè quis animaduerterît, quibus (veluti) ex fontibus ad laudem atq; ęternã nominis gloriã, antiqui Reges profluxerunt. Etenim si perenni fama digni sunt ij qui res in bello maximas, admirabili cum virtute atque audacia designauerũnt: (sunt autem dubio procul

digniſsimi) quantis honoribus eos cumulabimus, qui, quæ alij cruento marte pepererunt, dulci pace, atque diuini cuiuſdam conſilij grauitate, cõſeruauerint, auxerint, defenderint. Veruntamen hijs de rebus non eſt hic dicendi locus, & certè ſi eſſet, ſubtiliùs iſta perſequi ſuperuacaneum foret, præſertim cùm *Gulielmus Lamberdus* (is cuius paulò antè mentionem feci) multorum nuper antiquorum regum priſcas leges, è vetuſtatis tenebris in lucem veritatis vindicauerit. Ad alia nos maiora rapimur, & ſępenumerò ante oculos *Norwici* imago obuerſatur noſtros, quæ nos ad ſe identidem reuocans, promiſsi laboris fidem atque conſtãtiam efflagitat. Etenim cùm illius cauſa ſuſcepta inſtitutaque ſunt hæc omnia, iamq; tanquam è ſcrupuloſis cotibus emerſerit atque enauigarit oratio, cumq; vniuerſam ferè *Britanniam*, (eam præſertim quã hodiè *Angliam* nũcupamus)

breuiter

breuiter enucleateq́; deſcripſerim, eiuſq́; nominis rationem, ſitum, ſpeciem, magnitudinem, fertilitatem, rerum geſtarũ famam, finitimas inſulas, mira, prouincias, vrbes primarias, vias denique (pingui quamuis vt aiunt Minerua) dilucidè tamen ſatis, (vt mea fert opinio) aperteq́; depinxerim, cũctaq́; (quoad potui) grauiſsimorum, atque antiquiſsimorum authorum teſtimonijs cũfirmauerim: quid reſtat, niſi vt quibus aſtrictus teneor, ijs me continuò vinculis exſoluã? Quocirca quandoquidem hunc in modum celeriter per omnem pænè *Britanniam* cucurrimus, mariaq́; immenſa oratione peragrauimus, iamq́; propè, atq; in ipſo planè cõſpectu noſtra *Norwycus* eſt, cuius dũtaxat cauſa tam latè euagati ſumus, paſsis eô velis curſum confeſtim dirigamus.

1. Tres igitur partes erunt huius hiſtoriolæ: primo loco Vrbis vt nunc eſt, formam, deſcriptionemq́ue inſtituemus,

quibuſque initijs creuerit, donec ad hanc tantam peruenit (quâ hodiè viſitur) amplitudinem, oſtendemus. 2. Tum conſequẽtur Pontifices, qui ſacris ac religioni præfuerunt: 3. ac poſt hos Prætores. Semper autem vt quid memoria dignũ inciderit, id ordine, & (vt poterimus) aptè, in illorum vitas ac tempora includemus.

NORWICVS ciuitas *Angliæ*, vna inter multas celeberrima, ad orientis inſulæ latus extremum, propter *Baradenum* fluuiũ ſita eſt: qui à mari *Hyermuthico* (in quod profluit) ſexaginta millia paſſuum abeſt. De nominis ratione, atq; origine, variæ ſunt & multiplices diuerſorũ hominum opiniones. Siquidem qui ea de re ſcripſerunt, (ſcripſerunt autẽ permulti) in dubias & ancipites ſentẽtias diſtrahuntur. Quidam enim à regulo quodam ſeu duce *Noro*, (nam id imprimis traditur) nomen ciuitati impoſitum putant.

Non-

Nonnulli à *Norico* (antiqui ſanè nominis fluuio) cæterùm & fluuius, & fluuij nomen (perindè vt mortalia quæq;) vetuſtate iam penitùs exaruit. Alij de piſcinis quibuſdam neſcio quid nõ minùs fabuloſè, quàm ridiculè & perinſulſè comminiſcuntur. Sunt qui ex hijs duobus *Saxonicis* vocabulis (*North* & *Wich*) ſimul iunctis, ac ſi dicas *Aquilonarem vicum*, (talis enim Latino ſi exprimantur ſermone, iſtorum verborum vis eſt,) (*Norwicum*) nuncupatam, autument. Hos vt ſequar potiſsimùm (quandoquidem de fluuio nihil conſtat) inclinat animus.

Hęc in leui collis deiectu poſita, & magnitudine, & ſitus opportunitate, cæteris omnibus Angliæ ciuitatibus (paucis dũtaxat exceptis) lõgè antecellit. Latè patet ab ortu in occaſum, hoc eſt, à mõtis radice, quam flumẽ alluit ad ſummũ verticẽ paſſus ferè mille: vndè ſenſim creſcẽdo, in

maxi-

maximam amplitudinem diffunditur: in longitudinem verò à meridie in Septẽtrionem mille quingenta paſſuũ & paulò amplius protenditur.

Forma eâdem quæ arcui vehementiùs intento, cùm ſagittarius pleno niſu incũbit, iam iam ſagittam emiſſurus, cuiuſmodi apud Aſtronomos ſigni cœleſtis, (cui nomẽ fecêre *Sagittarij*) arcus eſt: niſi quòd hic figurã habet Scythici, ille Britannici: hoc eſt, non incuruantis mediũ, nec extrema tenoſue flectentis in auerſum. Ad hanc formam ab angulo incipit, & ſe paulatim hinc ædificiorum latè efferentium tractu, inde murorum arcuato flexu extendit, dilatatque, ad maximam ipſius amplitudinem. Tum ſenſim ſe cogit arctatque, ac tandem lateribus ex diuerſo propè cõeuntibus, alium facit angulum, ſed priori ampliorem. Hanc in formam cùm fluminis naturâ, tùm manus artificum vrbem cogebant.

Fluui-

Fluuius etenim ab occaſu ex duorũ fontium, quaſi ad *Wymondhamiam* confluxu profluens, (quorum alter ſuprà *Derhamiam*, alter ſuprà *Attilburgum* æquali ferè ſemper ſpatio decurrit,) mediam vrbem partim interluit, partim præterfluit, itaque è ciuitate deuolutus, latus vrbis quod ad ſolem exorientem ſpectat lambens, præcingit & alluit. Naturam iuuit ars, & ciuiũ ſollers induſtria, qui firmiſſimo muro vrbem circumcinxêre, cuius ea ratio eſt, vt nec ad eius defenſionem quicquam munitius, nec ad ſpeciem ornatius cogitari potuerit. Nam & lapide quadrato, ſiliceque elaborato conſtruxerunt, itaq; crebris pinnarum interuallis, fornicibus, ſpeculis, frequentiq; turri diſtinxerunt, vt & defenſionis opportunitati, & intuentium voluptati cùmprimis proſpexiſſe videãtur. Et certè ſi non ad vſum ciuium, & peregrè aduentantium commoditatem, plurima porta interrũ-

retur, nuſquam non perpetuus foret. Nã quà vrbem deſerit flumini coniungitur, & paulatim aſſurgendo per vniuerſum montis cacumen porrigitur, indeq; ſenſim denuò deuexus, amni (qua ex ciuitate ad ſeptentrionem emergit) committitur. Vndè fit, vt quod fluuius propter loci celſitudinem naturali munimento defendere nequierit, id murus artificum ingenio tutiſsimum reddiderit. Occidentalem enim & præruptiſsimã vrbis partem murus, murum foſſa præalta, foſſam agger ambit. Latus Orientẽ verſus murũ habet nullũ, ſed profluentem tantùm qui cum muro ſibi (vt anteà dixi) qua ex ciuitate effluit, commiſſo, ac in ſeptentrionem ad portas vſq; *Magdalineas* proiecto ita ſe habet ad reliquam vrbis arcuatę formam, vt neruus adductus ad arcum. Ergo quia id latus nullũ habet artis beficium, ſed naturæ tantùm (habet enim propter ſe amnem, propter amnem pratulum,

tulum, pro anni tempeſtate viride ſemper ſatis & amœnum: nonnunquã tamẽ fluidum & vndoſum: quem mons alius aſper, & denſiſsima veſtitus ſylua, indè ſe attollens, atque ex aduerſo vrbem reſpectans, ſuo ſinu excipit receptatque,) quà ergo (vt dixi) nullum habet artis præſidium, duo proſtant propugnacula, duarum turrium inſtar erecta, quæ plena foraminibus ad tormenta exercenda affabrè excauatis, & ferreis machinis ad bombardas ſuſtinendas inſtructa, & vrbi decus, & hoſti terrorem inferunt. Horum alterum trans amnem ad vrbis angulum, ſolido ex lapide in ripa poſitum: commune & aquæ & terræ patentium, nec debile munimentum eſt. Et ex hoc tranſmiſſas fuiſſe antiquitùs, in citeriorem ripam (vt nunc in ſtatione publica fit) cathenas, & in oppoſita muri arce receptas, indicio ſunt cathenarum reliquiæ, &

turrium tùm recipientium, tùm emittentium ruinæ. Periculíne ad prohibendum cymbarum aditum: an portorij cauſa (vt nunc fieri cõſueuit) incertũ. Alterum ex aduerſo vrbis vmbilico, quà amnis è ciuitate præcipitat, cis fluuiũ ex cocto latere cõſtructũ: ea vrbis loca defendit, quę munimentorum (præterquàm amnis ea ex parte vadoſi, & prȩcipitiorum impeditiſſimorum) expertia, eorum expoſita ſunt iniurijs, qui ex Oriente vrbi periculum inferre poſſent.

Ad hunc modum partim natura loci aſperi, montoſi, iniqui, & ſylueſtris, partim artis & ingenij machinationibus ſollerter ad defenſionem excitatis, vrbs eſt vndequàq; munitiſsima, adeò vt hoſtiũ quamlibet numeroſam multitudinẽ (ſi opus fuerit) facilè ac nullo negotio diſiecerit.

Atq; quemadmodum ſitus, lociq; natura multùm adfert vrbi roboris ac firmamenti,

mamenti, ita ingenium, ars, virtus, & induſtria ciuium plurimùm addidêre & opportunitatis ad vtilitatem, & ad delectationem dignitatis & ornamenti. Etenim quamuis nunc ampla ſit, nobilis, florens, celebris, & ciuitatum omnium, ſecundùm *Londinum* (vniuerſi regni emporium) multò maxima auguſtiſsimaq́; tamẽ initia habuit (quemadmodùm omnia) vt non vſque quaq́; illuſtria, ita humiliora fortaſsis, quàm pleriq́; homines arbitrantur: omninò tamen obſcura nõ auſim appellare. Nõ enim Romã florẽtẽ (vt vulgò loquuntur) vidit vna dies: nihilq́; ſimul inuentum idem, & perfectũ: & abundè clara ſunt initia quæ commẽdarûnt fœlicia incrementa: iſque ſemper dicendus eſt benè cœpiſſe, qui in inſtituta ratione rectè proceſſerit. Quò magis laudi dabitur ijs, qui ex initijs humilioribus clariora, ex paruis maxima, ex illuſtribus illuſtriſsima fecêre. Nam cùm

insigni semper apud omnes gloria floruerunt ij, qui quæ à maioribus tradita sunt conseruantes, ampliora eadem & ornatiora quàm acceperunt ad posteros trãsmiserint: quos & quantos honores tribuemus ijs, qui magnorum operum veluti fundamenta ponentes, quæ prudenter inchoarunt, prudentiùs multò perfectiusque absoluerint. Hæc enim sua sunt: cætera quæ non fecimus ipsi, *vix ea nostra voco*, vt verissimè cecinit *Ouidius*: nec merentur laudem: cùm talium virorum industria sempiterna seculorum omnium memoria vigebit. Etenim vt pleræq; ciuitates (quarum prima fundamẽta posita sunt illustria) socordia, inertia, luxu, & ignominia defluxêre, nec virtute aut relligione (firmissimis ad æternitatem præsidijs) circunseptæ sese extulerunt, sed fœdos & perditos exitus habẽtes, ęterna se sceleris labe & ignominia commacularunt: sic quæ (minimis primùm

mùm ac languentibus viribus) ciuium induſtria tamen, virtute, cõtinentia, modeſtia, ac frugalitate paulatim auctæ, ad maximas tandem opes, & ſummum fœlicitatis gradũ peruenêre, omnium vocibus & ſermone celebrãtur. Hinc veteres illi Heroës, *Moſes, Cecrops, Cadmus, Romulus*, innumerabileſq; alij (magnarum autores rerũ) tantam nominis ſui amplitudinem, ad perennem ipſius memoriam, poſteritati propagarûnt. Contrà verò *Rehoboam, Sardanapalus, Creon, Sylla, Cinna, Nero, Heliogabalus*, omneſq; qui vel morum immanitate, & importuna tyrannide, vel noxijs & impuris libidinibus patriæ vaſtitatem & exitium intulerunt ſuæ, æternam ſibijpſis, & nullo interituram æuo turpitudinem infligerunt. Nec iniuria. Illi namque clades & interitus rerum publicarum fuere, hij authores: illi longis duratura ſeculis, exiguo temporis momento peſſum dedêre,

dedêre, hij breui ſpatio virtute ſua multa, ad innumerabilia ſecula permanſura peperêre. Reſpublica ab hijs incœpit, at in illis deſijt. Siquidẽ amplitudini quaſi vitã dediſſe, multò magnificentiùs eſt, & ad nominis perpetuitatem glorioſius, quàm acceptam iugulaſſe. Itaq; ſi auium in nidis conſtruendis prouidam induſtriam, ſi araneolorum in telis texẽdis ſubtilem ſollertiã, ſi formicarũ perpetuos in victu parãdo labores, ſi apũ admirabilẽ in Republica ſua adminiſtranda diligentiam, (multaq; prætereà, quæ parens natura paruis animalculis inſeuit) tantopere admiramur & ſuſpicimus: quid hîc fieri conuenit? vbi non malleolis aut ſarmentis nidi, ſed ciuitates: non leuiter ſuſpenſa ad muſcarum interitum & inſidias retia, ſed leges ad concordiã fiunt: vbi non naturæ imperio omnia, ſed virtutis arbitrio geruntur: vbi denique non de fauis, aut aluearijs, ſed de recta ciuium inſtitutione,

tione, rerum ſuarum conſeruatione, vita beata diſceptatur, & communi omnium ſalute. Quo quid humano generi vtilius excogitari poteſt? Itaque quemadmodũ familiam qui benè inſtituit, qui inſtrumento domeſtico, qui ſupellectile largè copioſeque inſtruit, qui omnia in ordinem cogit digeritque, qui rem deniq; familiarem pertenuem, & anguſtam, amplam facit & magnificam, ſummo eſt apud omnes in honore, prudenſq; paterfamilias & οἰκονομος perhibetur: ſic qui reſpublicas ad eum modũ moderantur atq; gubernant, hij non viui ſolùm inter ſapientiſsimos numerabũtur, ſed poſt mortem etiã admirabili ſemper laude ac gloria circumfluent. Ergo ne longum faciam, rem paulò altiùs repetam. *Norwici* primordia hæc erant.

Æneas Anchiſæ Veneriſq; filius, Troianorũ qui capta *Troia* profugerunt dux nobiliſsimus, cùm per *Macedoniam* atq;

Siciliam ſedis quærendæ cauſa deuectus, *Laurentem* agrum (qui locus eſt *Italiæ*, qua parte olim *Latium*, hodiè *Campania* eſt) anno ante Chriſti aduentum milleſimo centeſimo primo occupaſſet: ex *Lauinia Latini* regis filia, (quam vxorem duxerat) *Aſcanium* filium ſuſcepit. Is dein *Syluium*, *Syluius Brutum* procreauit. *Brutus* autem vt in inſulam *Albiona* delatus eſt, (eius ab originibus fuſis, ſe primùm regem inſulæ conſtituit, anno ante *Chriſtum* natum milleſimo centeſimo triceſimo tertio, eamq; ex ſuo nomine *Britanniam* (*Albion* vt dixi prius nomen erat) appellauit: ac *Nouam Troiam* (hodiè *Londinum*) ad *Thameſim* fluuium anno ante *Chriſtum* milleſimo centeſimo condidit. Quid multis? Res *Brytannorum* iam inde paulatim propagari cœperunt, cùm tamen neque *Norwici*, neque caſtelli quod in eo viſitur, vllum adhuc nomen (ante *Gurgunti*

Gurgunti Bellini filij tempora (qui à *Bruto Britanniam* vigesimus quartus rexit) exstitisset. Is etenim postquam tributum quod *Bellino* patri, vectigales *Dani* pendere consueuerant, occiso *Gut Laco Danorum* rege, anno regni sui sexto, illato genti fœdifragæ bello recuperasset, redienſque per *Orchades*, *Hyberniam* prius incultam atque inhabitatam, *Parthalao*, *Cantabroque Hispanorum* ducibus, subditorum astrictam iure, stipendio insuper impositio, hospitij incolendique causa concessisset: in ea *Brytanniæ* parte quæ ortum solis spectat, (quam orientalem vocabant incolæ) loci naturam arci condendæ satis idoneam conspicatus, castelli cuiusdam fundamenta posuit. Quod forma iam quadrata inchoatum, & ex albo lapide in collis excelsi vertice fundatum, (ad flumen olim *Sydumanum*, nunc *Hierum*

nuncupatum) Rex ſui vt videtur nominis rationem ſecutus, *Kaier Guntũ* (quod Latinè *Gunti caſtellum* rectè dixeris) appellauit. Sed in rebus humanis vt nihil eſt perpetuum, ita opere imperfecto auctor fatis conceſsit.

Veruntamen *Guthelinus* (qui proximus à *Gurguntio* numeratur) rex Græcæ & Latinæ linguæ peritiſsimus, opus inchoatum perfecit, idque muro, vallo, foſſaque duplici circummuniuit. Quarum alteram monti ad eius radices vndique circundedit, alteram ante portam pontemque ita perduxit, vt in ſemicirculi figuram recuruata, atque ad interioris foſſæ diametri ferè fines reducta, vtroq; ſuo cornu cum ea tantùm non coîret. Niſi iam vrbis purgamentis (vt aliquot nunc ab annis fieri cœptum eſt) & ſordibus quæ ex ædibus indies exportantur, ciues eam compleuiſſent. Prætereà ad caſtellũ teſtudines quaſdam ſubterraneas, longo fornice

fornice, cœcoq; itinere duxit. Dein mutato cum ſuo *Gurgunti* nomine, *Kaier Guthelin* (quaſi *Guthelini* caſtellum) Britannica voce loco nomen fecit.

Atq; ita re nomineq; integra ad multos annos arx permanſit, nulla memoria digna (quæ ſcriptorum monumentis cõprehenſa eſt) acceſsione facta, niſi quòd *Julius Cæſar* omnium ferè gentiũ victor, quadraginta (vt fama eſt) ante *Chriſtum* natum annos, multa circà caſtellum ædificia exſtruxerit.

Veruntamen poſteà res Norwicenſes creſcere indies, atq; illuſtriores fieri cœperũt. Annus is fuit à partu virginis quadringenteſimus, quadrageſimus nonus, cùm *Vortigerus* Gerſeorum rex, Brytanniæ quoq; regnum per vim ac nefas occupauiſſet. Is etenim vt quod immani nequitia, adeptus eſſet imperium firmiori tueretur præſidio, gentem Saxonum ſceleris ſibi ſociam aſciuit, quæ ducibus

Hengisto atq; *Horso* maximis copijs sese in *Brytanniam* infudit. Tenuêre tum ad orientem maximam insulæ partem *Picti Scotiq;* (gens aspera & multũ in sanguine & cæde versata) post hos *Anglosaxones*, dein *Dani*: tum *Normanni*: vltimò *Belgæ*: sed *Pictis* atq; *Danis* prorsus deletis, ad nostra vsq; tempora habitatum est in *Albania* à *Scotis*, in *Cãbria* à *Brytannis*, in *Saxonia* Orientali, Occidentali, Meridionali, & inter vtrãq; media, à *Saxonibus*, à *Belgis* verò per vniuersam insulam cũ *Normãnis* mistim, tũ præcipuè in *Wallia* occidentali. Inito igitur cũ *Scotis*, *Pictisq;* contrà *Britannos* fœdere, *Horsoq;* in bello quod cõtra *Aurelĩũ Ambrosiũ* gessit, interemto, superstes fratri *Hengistus*, homo feritate incredibili præditus, & bonitatis cœli soliq; nõ ignarus, regionisque occupãdę percupidus, quò faciliùs omnẽ *Britanniã* domesticis perculsã disidijs inuaderet, *Ibittos* (*Iutas* nõnulli: alij *Vitas* appellãt)

pellãt)gẽtẽ eius partis *Germaniæ* quę hodiè *Alemania* dicitur, *Angloſq;* qui *Angliæ* regionem inter *Saxones* & *Ibittos* poſitã incolebãt, huius fecit ſui conſilij crudeliſſimi participes. Quæ barbara lues breui temporis interuallo, ita ſe per omnes regni partes diffudit, vt cũctis rebus immani rabie deuaſtatis, *Britannorumq;* viribus poſt longa bellorum incommoda fractis atq; contuſis, vniuerſa pænè regio in eorum ditionem conceſſerit.

Ibitti etenim *Cantium* occuparunt: *Saxones* prouincias quas nunc noſtri *Weſtſexiam*, *Eſtſexiam*, *Sudſexiam*, & *Middleſexiam* nuncupant: *Angloſaxones* autem *Brytanniam* Orientalem, eam quæ hodiè *Northfolciæ*, *Suthfolciæ*, & *Cantebrigiæ* comitatus continet.

Nec dum nouem expletis annis *Ibitti*, anno Domini. 457. ſuo *Cantio* regẽ præfecerunt, & poſt hos (annis videlicet viginti quatuor ab illo tẽpore elapſis, *Angli*

quoque

quoque, ſuæ *Britanniæ* orientali ſuum.

Exin nouus rex *Guthelini* caſtellum ſedem regiæ capit, Angliſque circum arcem ædificare, ibiſque deindè habitare, & piſcibus capiendis operam nauare cœperunt. Tum ex inſigniore duce *Noro*, (cuius auſpicijs in *Britanniam* venerãt) natùraque loci piſcatorij qui eorum lingua *Wices* dicebatur) *Norwici* loco nomen dedêre, falſa quidem inueterata tamen opinio) caſtrumque *Burchestrum* nuncupauêre.

Ex hijs principijs tanta *Norwicus* deindè incrementa cœpit, atque eô magnitudinis longo tandem interuallo deuenit, vt totius *Britanniæ* orientalis vrbs pulcherrima, florentiſsima, potentiſsimaque facilè exſiſteret. Etenim imbecilla primùm, & quaſi in cunis vagiens, reges habuit illuſtriſsimos, & inſigni præditos prudentia pontifices: infantiæ (vt ita dicam) alumnos ſuæ, quorum admirabili bonitate

bonitate alta indies, & educata fuit, donec postmodùm corroborata iam ætate, ciuium industria exculta,& ornata, eam adepta est(qua nunc quoq; fruitur) plenam opulẽtæ dignitatis senectutem. Tales namque habet magistratus annuos, quales hodiè Londinenses habẽt, & numero, & dignitate pænè pares, eosdem ritus, eundem in muneribus delegandis ordinem, eandem Prætorij iuris descriptionem,ac viuendi disciplinam. Quamobrem vrbs est tum natura,situ, & ædificiorum pulchritudine apprimè nobilis, tum rebus ijs omnibus, quibus abundare solent benè moratæ ac constitutæ ciuitates,instructissima.

Atque vt opibus creuit, ita relligione claruit, iam indè à *Sigeberto* Orientalis *Britanniæ* Rege, sub quo Christi fidem suscepit. Is enim intereà dum in *Gallia* exulabat, (inita cum *Fœlice* quodã *Burgundo* amicitia) mortuo iam *Corpuwallo* in

Angliam reuerſus, *Angliæ* orientalis (ibi enim habitabat) regno eſt potitus, *Fœlicemque* principatus ſui præſulem conſtituit. Qui dein ſuos ad *Chriſti* fidem conuertit, ac *Donuoky*, *Donwycum* nonnulli appellant, (ciuitas propter mare in orientali *Southfolciæ* parte poſita, hodie *Fylcheſtown* dicitur) ſedem habuit. Sunt tamen qui putant antè *Fœlicem Angliæ* oriẽtalis epiſcopos fuiſſe, qui *Sohami* iuxta ſtagnum Elienſis oppidi cõſederint. Vtcunq; fuit (quis enim rem tam veterem pro certo affirmet?) conſtat certè hunc *Fœlicem* poſtquam prouinciæ Noruicẽſi & Southfolcenſi, annos decem & ſeptem præfuiſſet, extremum obijſſe diem, atque *Donwyci* ſepultum. A cuius morte in epiſcopatum ſurrogati ſunt *Thomas* quidam *Fœlicis* Diaconus, ex *Giruiorum* prouincia oriundus qui quinque annos Eccleſiam rexit: & poſt hunc *Bonifacius*, qui totidem annos, quot *Fœlix* vtriuſque

uſque Eccleſiæ gubernacula tenuit. Poſt *Bonifacium* autem *Byſus*: ſed *Byſo* mortuo, duo eidē prouincię prę ſules præficiebantur. Quorum alteri *Donwocy*, alteri *Elmhamiæ* ſedes erat. Horum omnium nomina prout quiſque munus pontificium obierat, ordine ſubſequuntur.

Elmhamenſes Epiſcopi.	*Donwycenſes.*
Beadwynus primus.	*Acceius primus.*
Northbertus.2.	*Aſtwolfus.2.*
Headeulacus.3.	*Aerdredus.3.*
Neathilferethus.4.	*Cuthwynus.4.*
Eanferethus.5.	*Aldberthus.5.*
Athelwolfus.6.	*Eglaſus.6.*
Alcharus.7.	*Heardredus.7.*
Sybba.8.	*Aelphunus.8.*
Humferthus.9.	*Tydferthus.9.*
Humbyrctus.10.	*Weremundus.10.*
Weremundus.11.	*Wylredus.11.*
Wylredus.12.	

Totidem erant â *Biſo* vtriuſque ſedis Epiſcopi, quorum res geſtę vetuſtate obliteratæ iam penitùs euanuerunt. Nec mutata multùm harum rerum conditio fuit, donec ad tempora *Humberti Elmhamenſis*, & *Wylredi Donwycenſis* epiſcopi peruentum eſt. Horum enim ætas incidit in perturbationem eccleſiaſticæ diſciplinę, regnantibus *Ludicano*, & *Egberto Merciorum*, & *Weſtſaxonum* regibus. Ab *Ludicano* enim afflicta Eccleſia, rebuſque pontificijs vehementer perculſis, ad vnum denuò prę ſulem epiſcopalis dignitas deuoluta eſt. Quàm primùm *Athulfus* ſuſcepit, ac ſub *Edwyno* rege *Elhami* conſedit. Huic ſuffecti ſunt hi quorum nomina conſequuutur.

Alfridus.2.
Theodredus.3.
Theodredus.4.
Athelſtanus.5.
Algarus.6.
Alwynus.7.
Alfricus.8.
Alyfreieus.9.

Cui defuncto, *Stigãdus* ſucceſsit, aſcitus in

in Pontificatum,& ſtatim eiectus. Conſimili clade de ſede põtifica decidit *Grinchefalus*,honore ac fortunis excluſus ampliſsimis. Hunc etenim poſtquàm compertum eſſet aditũ ſibi ad eum quem adeptus eſt honorem mercede ac pretio patefeciſſe,denuò deturbarûnt,& *Stigandũ* rurſus in epiſcopali cathedra locarûnt. *Stigando Ægelmarus* eiuſdem *Stigandi* frater ſucceſsit: atque hij omnes ad *Gulielmi Normanni* tempora *Elmhamy* conſedêrunt. Huius tempore anno Domini milleſimo tertio, ciuitas *Norwicenſis* ſubitis ignibus deflagrauit: qui caſunè vrbem inuaſerint,an eos nefarij ciues clãdeſtino ſcelere tectis intulerint, incertũ. *Ægelmaro* epiſcopo *Gulielmus* rex ſacellanum ſuum *Arfaſtum* ſubſtituit: qui ex cõſilij ſententia ſedem epiſcopalem *Elmhamo Thetfordiam* tranſtulit. Vbi is ſolus,ac qui illi ſurrogatur, *Gulielmus Galfagus* conſedêre.

Proximus ab hijs *Gulielmus Herbertus*, pontificiæ dignitatis gradus conſcendit, vir ſanè illuſtris, ac (vt illa ferebant tempora) inſigni eruditione præditus.

Veruntamen priuſquam vlterius progredior, hoc in loco, tacitis quorundam hominum reprehenſionibus occurrendum mihi exiſtimaui. Neq; enim defuturos quoſdam ſuſpicor, qui cùm ea quæ à me optimum in finem deſcribuntur, (vt eſt talium virorum captus) inuidioſiſsimè detorſerint, iniquum meis ſcriptis vel inſcitiæ, vel ſuperſtitionis crimen imponent.

Quid tu mihi (inquiet aliquis) hos *Beadwynos*, *Northbertos*, *Accios*, *Tydferthos*, *Aſtwolfos*, *Weremundos*, & id genus alios, quiſquilias veriùs quàm pontifices commemoras? quos aut nunquã natos ſanè oportebat, aut ſempiterna obliuione ſepultos? Enimuerò horum hominum proteruam inſolentiam ſatis demi-

demirari nequeo, qui ardentibus inanis gloriæ flammis perusti, vsque adeò semetipsos diligunt, ac magnificè circumspiciunt, vt ea solùm scribi debere arbitrentur, quæ illorum aures nescio qua inani ac futili delectatione permulceant. Nolumus (inquiunt) talia literarum monumentis prodi: Nolumus *Romanos* sacerdotes, templa, sacra, cæremonias audire: Nolumus denique abolitam illam iam pænè papisticæ tyrannidis memoriam cuiusquã scriptis redintegrari. Cur quæso? Nimirùm quia tempora illa impietatis, errorum, & ignorantiæ plenissima, immani vndique superstitione redundarûnt. Quasi verò nos istuc aut ignoremus, aut occultemus, aut quouis modo oratione nostra illorum impuritati suffragemur. At fuerunt plærique omnes illius ætatis pontifices impij, crudeles, auari, indocti, & (quod caput est) papistę: Esto, fuerint:

(quamuis

(quamuis hoc quoq; infitiari certè licebit) ſed fuerint tamen improbi, fuerint ſacrilegi, fuerint ſpurciſsimis ſuperſtitionibus polluti, fuerint deniq; flagitiorum omnium vitiorumque antiſtites. Quid tum? Nónne ideò illorum exemplis alij à conſimili ſcelere & nequitia deterrebũtur? Quid? hac duntaxat vna ſuperſtitionis lue, & ſuperioris ſeculi labe excepta, an non multi exſtiterunt præſules eruditionis laude alioquin inſignes, virtute præſtantes, vitæ diſciplina admirabiles, tamen & horum ſilebitur?

Iam verò illud cuius eſt, nõ dicam ſtultitiæ ſed amẽtiæ? arrogantiæ, importunitatiq; tuæ, neſcio quod cõſcientię vulnus, ac ſuperſtitionis peſtem prætexêre, perinde ac ſi mẽtis caſtimoniam talium voluminum lectione coinquines. Itané verò? *Herodotum, Thucididem, Cæſarem, Titum Liuium*, cùm legimus, & veterũ ſeu Romanorum, ſeu Græcorum res geſtas remi-

reminiſcimur, quos ad virtutem ſtimulos ſentimus? quo inflammamur ardore? quanta denique ſuauitate perfundimur? & adeò ingrati erimus, noſtros vt infra Ethnicos amandandos putemus? Quid? Sacra *Veneris*, Orgia *Bacchi*, Solēnia matris *Berecynthyæ*, *Iunonis*, *Dictinnæ*, Floralia, Eleuſina, Saturnalia, cùm audimus quotidiè, legimus, manibus ferè atque oculis vſurpamus, nonné ſingulari odio & deteſtatione ſceleris tam horrendi inardeſcimus? & noſtrorum hominum vetuſta volumina, ritus, mores, cęremonias perſcrutantes, periculum erit, ne conſcientiæ noſtræ illarum ſordium cōtagione reſperſæ violentur? Quid? Poetæ? nonnè in iſtarum rerum deſcriptionibus crebri ſunt ac frequentes? quis tamen vnquam illorū carminibus relligionem ſuam labefactari ſenſit, aut mentem perfidię maculis contaminari? Tres illi *Marci Tullij Ciceronis* de natura Deorū libri, omnibus

verborum ac ſententiarum floribus conſperſi? ecquos recordari poſſumus, quorũ ex animis aureum illud orationis flumen diuini numinis cognitionem eluerit? *Auguſtinus* ipſe, qui horum omnium ſacrilegiorum portenta vno volumine complexus eſt, ecquem illius oratio, gentium ſpurciſsimis ritibus implicuit? Veteres illi Chriſtianæ Eccleſiæ anteſignani, ac martyres glorioſiſsimi, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Cyrillus*, *Arnobius*, *Lactantius*, innumerabileſque alij, quanta eloquentia, arte, ingenio, copia, horum cultus, ſacra, cæremonias, mores, inuenta, inſtitutaque perſecuti ſunt, cùm tamen in omni pænè ſeculorum memoria ne vnus quidem vnquam inuentus fuerit, cuius animum illorum ſcripta deprauauerint? Pleni ſunt omnium philoſophorum libri, talibus ineptijs, annales vetuſti, & antiquorum ſcriptorum monumenta huiuſcemodi fabulis

ac

ac monſtris referti, qui tamen vbique abſque periculo, incredibili certè cum legentium voluptate, teruntur, leguntur, ediſcuntur. Nec tamen adhuc quiſquam exſtitit adeò ſceleratus & excors, qui ex horum voluminibus virus aliquod ſuperſtitionis exſuxerit, aut tam impuræ relligionis guttulam aliquam in animum ſuum illabi ſiuerit, ſed eò magis ab illorum diris ſacris, ac nefandis myſteriorum deliramentis abhorruerit. Ergo in horum libris euoluendis caſtiùs verſabimur quàm in noſtris? & ab illis nihil damni metuentes, perniciem, ab his & conſcientiæ peſtem perhorreſcimus? Equidem ea ſemper mente fui, vt iſtius ſententiæ homines, aut bonorũ ſtudijs apertè inimicos & infenſos exiſtimarem, aut papiſtarũ ſceleribus occultè & inſidioſè præuaricari. Nam qui iſta ferre nequeunt, neſcio ob quam putidã & delicatam curioſæ mentis puritatem, quam

ſtultitiæ ſuæ prætendunt, ſuperbas me-
diusFidius aures habent,& morbo quo-
dam mentis ac iudicij quo laborant, po-
pularium ſcripta faſtidientes, ingenij ſui
vanitatem,& cordis virulentiam depro-
munt. Qui autem omninò tanquam in
obſcuritatis cœno, iacere veterum mo-
numenta volunt,neque ex occultis ea te-
nebris in lucem vindicari, non tam relli-
gionis amore id exoptãt quidem,(quàm
fortaſsis funditùs deletam & exſtinctam
cupiunt) quam impuritatum conſcien-
tia, quas ſempiternis ſilentij latebris atq;
integumentis inuoluere conãtur. Vterq;
ſanè & cœlo ſolem, & nocti diem inui-
dent: & manifeſta mentis deprauatæ in-
dicia dantes, inſignem ſibi vel perfidiæ,
vel inuidiæ notam inurunt, dũ ea obrue-
re & opprimere nituntur, quæ cognita
cunctis ſummam importabunt ſalutem,
Sathanæque atq; Antechriſti inſidijs atq;
ſceleribus detectis, gloriam Dei optimi
maximi

maximi mirificè illustrabunt.

Quapropter hoc maneat semper, ac fixum sit: harum rerũ lectionem, vt multis iucundam, ita nemini inutilem futuram: soloſq; eos pollui ac commaculari, qui picem impietatis tetigerint, id est qui vel praua voluntatis consensione papisticis fecibus sese foedarint, vel maleuolentia & inuidia cæcati, mentis oculos, & ingenij lumen amiserint.

Neq; verò velim quisquã me arbitretur hoc in loco, vel hominibus, vel illorũ tẽporum relligioni, seu potiùs superstitiosissimis sacris quicquam honoris impertiri. Nõ me latet quàm cœca & horribilis nox, illa ætate orbem terrarum opprimeret, quamque crassis obducta & circunfusa tenebris, ipsa veritas, ac relligio Christiana iaceret. Verùm si in tanta ac tam illustri Euangelij luce qua hodie Dei benignitate circũfundimur, horum hominũ sanctimoniam, vel si mauis superstitio-

ſtitionem intuentes, illorum exemplo ad virtutem inflammemur, ecquis iure reprehenderit?

Sint igitur iſta nobis ſemper ad imitãdum propoſita, eoque ſimus animo, vt ſi quæ temporum illorum antiſtites pietatis monumenta ad poſteros tranſmiſerint, ea nos non hominum voluntate, ſed naturæ regula, & rei ipſius magnitudine metiamur. Parum etenim iam noſtrâ intereſt, quo conſilia ſua direxerint, quemque ſibi benè aut ſecùs agendi finem propoſuerint, dummodò illorum pro ſua conſcelerata relligione ſuſcepti labores, mentes noſtras ad virtutem & ſanctitatem exacuant. Nihil enim nobis oberit, clarorum hominum exemplis, ad pietatis officia incitari, ſi in virtutis ſtudio defixi, actiones noſtras omnes ſenſuſque, ad fratrum vtilitatem, & Chriſti gloriam conferamus. Proin ſcelus omne, impietatemq;

aç

ac superstitionem ex animo execremur, talium verò factorum memoriam, summa semper beneuolentia prosequamur. Verùm vt eò vnde egressa est, denuò se referat oratio.

Fuit igitur *Herebertus* iste (de quo anteà diximus) *Oxonij* natus, & *Roberti* cuiusdam de *Losinga*, VVintoniensis Abbatis filius, quem *Fiscani* tum *Normanniæ* Monasterio præpositum (Priorem vulgò nuncupant) *Gulielmus Rufus* in *Angliam* acciuit. Cui cùm in aula versaretur assiduus, omnibus in rebus ita se probauit, vt & illum Rex non solùm magnoperè diligeret, sed & præmijs etiam cumularet amplissimis. Vnde factum est, vt infrà triennium tantos nummorum aceruos construxerit, vt & sibi pontificatum (dicitur enim sedem suam à *Gulielmo Rufo* 1900. libris obtinuisse) & patri cœnobium turpissimo mercatu coëmerit.

Cuius

Cuius exſecrandæ Symoniæ labem ac maculas multi ſcriptis ſuis ambitioſiſsimo præſuli ſempiternas aſperſerunt, & eius delicti cauſa, eam quam mox dicam templorum exſtruendorum neceſsitatem ad tanti facinoris pœnam à Papa *Paſchali* inflictam, monumentis perſcriptum veteribus reliquerunt.

Illud certè cõſtat, fuiſſe eum cæteroqui virum (vt temporibus illis) pereruditũ, & haud vulgari doctrina excultũ. Quò magis miror, quęnam ratio ipſum ad hãc tantam turpitudinem impulerit, vt cùm artibus ſe inſtruxiſſet optimis, quæ ſemper hominibus ad decus & dignitatem præſidio eſſe cõſueuerũt, nihilominùs tamen aditũ ſibi ad eam quã animo cõplexus eſt amplitudinẽ, tam immani flagitio munierit. Enimuerò illius inexplebilẽ vt ita dicã pecunię ſitim, ac inſaturabilẽ ambitionis ingluuiẽ *Gulielmus Malmsberius* huiuſcemodi verbis perſtrinxit.

Tres

Tres ſunt in Anglia *Epiſcopatus, qui ex antiquis ſedibus in alias tranſierunt.* VVellenſis, *per* Iohannem *in* Bathoniam, Ceſtrenſis *per* Robertum *in* Couentreiam, Thetfordenſis *per* Herbertum *in* Norwicum. *Omnes nummorum maleficio, omnes venalitatis ambitu, ac ſacrilegio. Deniq; vt primùm de poſtremo dicam,* Herebertus *cognomento* Loſinga, *quod ei ars adulationis impegerat, ex Abbate* Ramſey *emit Epiſcopatum* Thetfordẽſem, *patre ſuo* Roberto *eiuſdem cognominis in Abbathiam* VVintoniæ *intruſo. Fuit ergo vir ille magnus ſymoniæ fomes in* Anglia, *Abbathiam Epiſcopatumq; nummis aucupatus, pecunia ſcilicet regiam ſollicitudinem inuiſcans, & principum fauori promiſsiones nõ leues aſsibilans.* Vnde quidem egregiè tunc temporis verſificans, ſic ait:

Surgit in Eccleſia monſtrũ, genitore Loſinga,
(Symonidûm ſecta Canonũ virtute reſecta)
Petre nimis tardas, nã Symon ad ardua tẽtat.

Si præſens eſſes non Symon ad alta volaret.
(Proh dolor) eccleſiæ nūmis vendūtur & ære:
Filius eſt præſul: pater abbas: Symon vterq;.
Quid non ſperemus ſi nummos poſſideamus?
Omnia nūmus habet: quod vult facit: addit, & aufert.
Res nimis iniuſta nummis fit præſul & Abba.

En qualis in iuuentute exſtiterit, videamus nunc viciſsim quemadmodū ſeni hę tam immenſæ gloriæ atq; pecuniæ cupiditates deferuerint, atq; idipſum quoque eiuſdē *Gulielmi* teſtimonio comprobemus. Eodem igitur in loco inſtitutā narrationem hunc in modum perſequitur.

Veruntamen erroneum impetum iuuentutis aboleuit pœnitentia, Romam *profectus ſenioribus annis, vbi loci dalmaticam, & baculum & annulum deponens, indulgētiā clementiſsimæ ſedis iterum recipere meruit. Quod* Romani *ſanctiùs & ordinatiùs obſeruāt, vt Eccleſiarum omnium ſumptus ſuis potiùs marſupijs inſeruiant, quàm quorumlibet*

bet regũ vsibus militẽt. Itaq́ Herbertus domũ reuersus, sedẽ episcopalẽ quæ quõdã fuit in Helmhã, & tũc erat apud Thetford ad insignem mercimonijs & populorũ frequẽtia vicum transtulit nomine Norwycum. Ibi monachorũ congregationem numero, & relligione percelebrẽ instituit, omnia eis necessaria ex nũmis mercatus domesticis. Prouidens suorũ successorũ querelæ nullos de episcopatu terras monachis largitus est, ne illi Domini famulos fraudarent victualibus, si quid donatũ offendissent, quod suis cõpeteret rebus. Præterea apud Thetford monachos Cluniacenses instituit, quòd sint illius cœnobij professores vbiq́ penè gẽtium dispersi, locupletes in seculo, & splẽdidissimæ relligionis in Deo. Ingẽti ergo & numerosa virtutũ gratia præteritarũ offensarũ molẽ obumbrauit, disertudinis et litterarũ copia, nec minus secularũ rerũ peritia ratione quoq́ celsitudinis suspiciendus. Fuitq́ Herbertus mutatus vt Lucanus de Curione dixit momẽtũ &

mutatio rerum ſicut tempore iſtius regis ſymoniæ cauſidicus, ita poſteriùs propulſator inuictus, nec ab alijs fieri voluit, quod à ſe præſumptum iuuenili feruore indoluit, præ ſe ſemper (vt aiunt) ferens Hieronimi *dictum, Errauimus iuuenes, emendemus ſenes. Poſtremò, quis in illius facti laudem dignè pergat, quod tam nobile monaſterium Epiſcopus multum pecunioſus fecit, in quo nihil fruſtrà, deſide, vel in ædificiorũ ſublimium ſpecie, vel in ornamentorũ pulchritudine, vel in Monachorũ relligione, & ſedula ad omnes caritate. Hunc & viuũ ſpe fœlici palpabant, & defunctũ (ſi non vana fides pœnitentiæ) ſuper æthera tulerunt.* Hæc ille.

Sedenim ô verè miſeram illorum temporũ conditionem, cùm diuini numinis ignoratio cuncta denſiſsimis erroribus obſepſiſſet, cùm homines non vitæ integritas, ſed turpitudo ſumma & indignita: non pietatis ardor, ſed ambitionis flãmæ: nõ ſacrarum rerum ſcientia, ſed ſceleſtiſsimæ

leſtiſsimæ libidines, ad eccleſiaſticas dignitates eueherent. Quantò nos fœliciori fortuna nati ſumus, qui Dei benignitate ex hoc ſuperſtitionis veluti orco, ad cœlum & vitam æternam emerſimus. Alia ſiquidem iam noſtræ Eccleſiæ ſpecies & dignitas, alia Romanæ, alia Chriſtianorũ ratio alia Papiſtarum, non idem relligionis ſplendor, impietatiſque tenebræ: lux denique longè alia eſt Euangelij, & lychnorum, quibus illorum tenebricoſiſsima templa collucent. Iam verò illud cuius tãdem ſtupiditatis ac dementię fuit, quòd cùm iuuenis tam diris ſe flagitijs dedecoraſſet, decurſa iam propè ætate, non ad Chriſtum (vnicum æternæ ſalutis fontem) ſed *Romam*, ad lutulentas impuri pontificis lacunas cõfugeret. Qua profectione tãtum abeſt vt illius facinoris dedecus deleuerit, vt ad ſymoniæ potiùs infamiam (meo iudicio) perfidiæ quoque ſcelus adiunxerit.

Vtcunq; ſe res habet domum reuerſus, extremis pænè ætatis temporibus ita vixiſſe dicitur, vt tum Regi charus, tum iucũdus omnibus eſſet. Etenim poſteà epiſcopatus ſui munere magna cum laude perfunctus, & ſibimetipſi perennem gloriam conflauit, & poſteros conſimili virtutis ardore flagrantes, exemplo ſuo non mediocriter ad ſtudia pietatis incendit. Nam cùm *Romæ* (vti ſuprà memoraui) beneficio Papæ, eam eſſet, quam opinionis errore ſibi cõfinxerat peccatorum impunitatem conſecutus, omneſque ſymoniæ ſordes, in cœnoſiſsimis Romanæ curiæ puteis abluiſſet, nihil poſt reditum in *Angliam* priùs, neque antiquiùs habuit, quàm vt eam pecuniam quam iuuenis rapinis coacerauerat, ſenex, in ſacris ædibus conſtruendis collocaret. Ac primùm non ferens vagæ pro hominum arbitrio ſedis moleſtiam, certum aliquem locum, ac veluti

veluti domicilium episcopali dignitati cõstituere decreuit. Et quoniam eo tempore *Norwycus* ciuitas esset Orientalium omnium, & ad aspectum pulcherrima, & ad vitæ necessitatẽ instructissima, idcircò vrbs ea maximè præ cæteris opportuna visa est, quæ & pontificij splendoris amplitudinem, & tantę sedis dignitatem sustineret. Quod cùm ciues omnes libentissimis excepissent animis, Regesq; *Gulielmus*, & *Henricus* primus, Papaq; *Paschalis* (vti temporibus illis fieri consueuit) diplomatibus suis confirmassent: omni cogitatione in curam ecclesiastici muneris incumbendũ sibi existimauit. Itaq; primùm ædẽ Cathedralem suis impensis exstruendam locauit, areamq; pulchrã coêmit (locũ quem veteres *Cowholme* appellarũt) inibiq; tẽ plũ augustissimũ, & monachorũ domus exędificauit. Cuius fũdamẽti lapidẽ primũ ipse suis iecisse manibus dicitur, pauciq; maiusculis litteris

litteris lapide inciſis, eius rei memoriam poſteris ſempiternam tradidiſſe. Eæ autẽ erant huiuſmodi. *HVNC PRIMVM HVIVS TEMPLI LAPIDEM DOMINVS HERBERTVS POSVIT: IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. Amen.* Dein templum Sanctæ Trinitati dedicauit, locupletiſsimiſq; prędijs donauit, adeò vt agrorũ fructus quos quotannis perciperent, ſexaginta monachis, atque amplius alendis ſufficerent. Tum libris, omniq; ſacra ſupellectile inſtruxit, breuiſque effecit, vt nihil nec ad Monachorum vſum, nec ad tanti templi ſpendorem maieſtatemq; deeſſet.

Hanc tantam publicæ vtilitatis curam, excepit haud minor domeſticę dignitatis cogitatio. Itaq; ex Aquilonari parte Eccleſiæ palatium ipſe ſibi conſtruxit: quod prudens à monachorum cellulis ſecreuiſſe

uisse dicitur, ne crebrò hominum huc & illuc discurrentium tumultu, illorum solitariæ mentes à cœlestibus rebus cõtemplandis abstraherentur.

Quinque insuper fana exstruxit, quorum vnum sancto *Leonardo* consecrauit, idque in summo colle cathedrali ecclesię aduersum, (interiecto flumine) constituit. Alterum *Norwyci*, *Elmhami* tertium, quartum *Lhynni*, quintum ad ostium *Gerni* fluminis. Ea fana perpetuò Monachorum potestati subiecit, quosdamque ex eo cœtu ac numero semper esse voluit, qui votis concipiendis alternatim vacantes, Romanos ritus cęremoniasque indies obirent.

Fertur etiam *Thetfordiæ* Monachos Cluniacenses instituisse, multaq; alia designasse, quibus plebis imperitę animi (vt illa fuerunt secula) rudes, superstitionũ laqueis implicarentur.

HÆC à me eò referuntur, non quòd

illa probem: (Quis enim tantã impietatem nõ aſpernetur & oderit?) Sed vt noſtri homines horum in Romanis ſacris ac ritibus aſciſcendis ſollicitam induſtriam contemplantes, illorumq; exemplis excitati, ad Dei optimi maximi amorem, & veræ pietatis cultũ flagrãtiùs exardeſcãt. Etenim cùm homines anili ſuperſtitione, & inexpiabili fraude cõſtrictos, eo diuini numinis metus impulerit, vt maximas facultates in res peruerſas ac impias profundere non dubitarint: quo nos tãdem animo eſſe debemus, qui diſpulſa erroris nube, cœleſti diſciplinæ ſolẽ diſpicimus? Quapropter quemadmodum hij in templis conſtruendis, & ſacrificulorum cœtibus conflandis, nullo neq; labori, neque ſumtui pepercerint: ſic nos viciſsim miſerorũ hominum inopiam egeſtatemq; ſubleuemus: & nuda Chriſti membra mœrore ac luctu perculſa, mãſuetudine ac miſericordia (vt par eſt) cõplectamur.

Huius

Huius pontificis tempore (anno Domini milleſimo centeſimo duodecimo) peſtis magna omnium ferè ciuiũ domus peruagata, multos mortales abſumſit.

Obijt.a.d.XI.Kal.Auguſt.1113.regnãte *Henrico* primo, atq; *Norwici* in eccleſia cathedrali ad altare ſummũ ſepultus eſt.

Defuncto *Hereberto*, ſucceſsit *Euorardus* Archidiaconus *Sarisbyriæ*, qui cõſecratus fuit à *Rodolpho* Archiepiſcopo Cantuarienſi, anno Domini milleſimo, centeſimo, viceſimo primo. Sed iniuria temporis factum eſt, vt huius pontificis memoria, abolita pæne vetuſtate, perierit. Nam cùm annos viginti nouem Epiſcopatui prę fuiſſet, perfecit eadem quæ omnia delet vetuſtas, vt nulla eius ingenij monumenta mandata litteris, nullũ opus otij, nullum dignitatis munus ad pietatis gloriam exſiſtat.

Hoc tantum in pontificijs cõmentariolis perſcriptũ reperitur, quod cùm totidẽ

quot anteà diximus annos orientalem rexisset ecclesiam, regnante *Stephano*, idibus Octobris vitam cum morte commutauerit.

Hunc consecutus est *Gulielmus* cognomento *Turbus*, genere *Normannus*, & ineunte ætate Noruicensis Monachus, post Prior, demùm à conuentu (sic enim religiosorum cœtũ & frequentiam nuncupant) electus Episcopus, atque à *Theobaldo* Archiepiscopo Cantuariensi consecratus. Huius tempore combusta fuit ecclesia Norwicensis. Obijt anno pontificatus sui vicesimo quinto, & a.d. XVI. Calend. Feb.

Huic successit *Iohannes* primus (dictus *Oxonienſis*) anno Domini millesimo, cẽtesimo septuagesimo. Hic incœptã priùs, & inchoatam ab *Hereberto* Ecclesiam perpoliuit, & infirmorum hospitia exædificauit. Templum præterea Trinitatis *Gipwyci* exstruxit, & ædes quamplurimas

mas incendio consumtas, restaurauit. Mortuus est anno pontificatus sui vicesimo sexto, quarto nonas Iunij, & sepultus est ante altare summũ cum *Hereberto* & *Gulielmo*, anno Domini millesimo, ducentesimo: & regis *Iohannis* secundo. Huius tempore (anno ab humano genere redemto suprà millesimum, centesimũ, septuagesimo primo) *Norwici* templum sanctæ Trinitatis igne fortuito incensum, denuò deflagrauit.

Huic suffectus est *Iohannes* de *Grey*, vir illustris & eximius, Reipublicæ administrandæ, ac Iuri interpretando) Iusticiarius vulgô nuncupatur) à rege præfectus. Hic in omni vita eam adhibuit, sanctitatem, religionem, prudentiam, & in legibus æquitate explicandis integritatem, ac fidem, vt illum Rex ad Archiepiscopatũ Cantuariensem (tanquam ad summum honoris culmẽ) euehere decreuerit. Sed immatura mors desponsam iam, & de-

ſtinatam præſuli ampliſsimo dignitatem præripuit. Aulam & omnem illam (quæ hodiè *Gaywodiæ* viſitur) molẽ exſtruxit. Obijt anno pontificatus decimo quarto, & a.d.Kal.Nouemb.ſepultus *Norwici*. Poſt hunc autem ab Epiſcopo per ſeptẽnium vacua fuit pontificia ſedes.

Quo temporis ſpatio decurſo, *Radulphus* (quem alij quoque *Pandulphum* appellant) epiſcopi Romani legatus, *Norwicenſis* Præſul factus eſt. Hic à conuentu electus: *Romæ* ab *Honorio* inſignia pontificia ſuſcepit: anno Domini milleſimo, ducenteſimo, viceſimo ſecundo: & Regis *Henrici* tertij, ſexto.

Multa monachis dediſſe fertur, ac inſigni ſemper ſapientiæ laude floruiſſe. Verùm nomen eius, nec præſtãs naturæ bonitas, nec tanta ingenij magnitudo, ab interitu vindicare potuerunt. Namque factorũ famam vetuſtas ita afflixit, vt funditus illorum omnium memoriam per-

uerte-

uerterit. Obijt anno Episcopatus sui quinto.a.d.XVI.Kal.Septemb.A cuius morte Pontificia sedes,annos tres absque Episcopo permansit.

In qua tandem(vt nonnulli volũt:quidam enim huius nullam omninò mentionem faciunt) *Thomas* de *Blondeuilla* à *Stephano* Archiepiscopo Cãtuariensi cõstitutus est: qui quoque cùm per decennium eo munere perfunctus esset,ex vita migrasse dicitur, anno Domini millesimo,ducentesimo,tricesimo sexto.

Triennio exacto (totidem enim annos prouincia sine Episcopo fuisse perhibetur)*Gulielmus* de *Raghle* ecclesię gubernacula suscepit: anno Domini. 1239. In qua cùm Regi specimen pietatis ac prudentiæ suæ dedisset, tertio pontificatus anno Rex eum *Wintonienſi* ornauit Episcopatu.

Vnde factũ est,vt *Gualtherus* de *Suthfield* illi (haud dum defũcto) succederet:

vir

vir totius diuini ac humani iuris peritiſſimus. Hic Hoſpitale (vt appellant) *Ægidij Norwici* conſtruxit,& poſſeſsionibus ditauit ampliſsimis. Inſuper ſacellum Beatæ virginis in Eccleſia Cathedrali ædificauit: vbi poſteà ſepultus fuit, anno pontificatus ſui decimo tertio: a.d. XV. Kalend. Iunij,& anno regis *Henrici* tertij quadrageſimo primo.

Nec ita multò poſt *Symon* de *Wanton* Regis *Henrici* ſacellanus, & iudiciorum ac iuris publici interpres ſummus (vulgò Iuſticiarium appellant) epiſcopalem dignitatem conſecutus eſt. Sed vt omnia humana fatali quodam temporis impulſu, ruunt & concidunt: ſic huius res geſtas, ætas labefactauit omnes atque peruertit. Igitur cùm annos octo Eccleſiæ præſediſſet, ex hac miſera & caduca vita migrauit,corpuſque *Norwici* in eodem ſacello (quod paulò antè *Gualtherus* cõſtruxerat) çompoſitum eſt.

Huic

Huic ſucceſsit *Rogerus* de *Skerwyng*, anno Domini milleſimo, ducēteſimo, ſexageſimo quinto, & *Henrici* tertij quadrageſimo nono. Huius Pontificis nomen ad ſempiternā memoriam temporis calamitas propagauit. Etenim illo Eccleſię præſidente, grauis ac funeſta clades vrbē *Norwicēſem* afflixit: quæ leuiſsimis profecta initijs, exitus habuit lugubres & perhorrendos.

Et quoniam aliorū caſus ac ruinas contemplantes, ſępenumerò cohorreſcimus, & ſceleris odio ac deteſtatione perfundimur: iccircò viſum eſt rem paulò altiùs repetere, operæ pretium me facturū ſperans, ſi ſaltem aliquos, mente & animo minùs benè conſtitutos, harum calamitatum intuitu, ad pacis ſtudiū & amorem inſtigem.

Euenit igitur vt cùm quodam fortè diè nundinę (pro porta Prioratus) *Norwici* celebrarentur, ac multi illuc iuuenes ex

Tt. circun-

circũuicinis oppidulis villuliſq; confluerẽt, lis acerrima inter ciues, & religioſorũ famulos exoriretur. Quo in certamine vtrinq; ita animis exarſerant, vt à verbis ad vim verſi, totis inter ſe viribus tumultuoſiſsimè cõfligerẽt. Ibi in turba (vt fit) multi ciues grauiſsimis affecti vulneribus, cõplures verò crudeliſsimè peremti. Cumq; arbitri, qui quęſtioni de nece per vim, aut caſum cuipiã illata præeſſe conſueuerunt (coronatores vulgò appellantur) pronuntiaſſent ciues illos à religioſorum famulis nefariè per vim ac ſcelus trucidatos videri, vicorum ſubmagiſtris, ac lictoribus negotium datũ eſt, vti ſontes (ſi fortè in vrbem venirent) primo quoque tempore comprehenderentur. Eius rei veluti indignitate permoti Monachi, ira vehementer accenſi, inuidia & odio in ciues immani flagrare cœperunt. Et primùm diris execrationum fulminibus in eos tonantes, miſeram plebeculam per-

perterrefaciunt. Dein verò vt conceptus animo furor acriùs efferbuerat, scelere & nequitia deflagrantes, vrbi pestem & exitium machinantur. Itaque cùm se gladijs, fustibus, scutis, ac omni ferè telorum genere instruxissent: clausis cœnobij valuis, transeuntes crebris balistarum ictibus conuulnerare cœperuht. Die vero Dominica ante festum Diui *Laurentij*, effusi omnes è portis infestis clamoribus, vrbem ingenti terrore perculerunt. Etenim noctem illam totam (quæ insecuta est) circa vrbem armati debacchantes, nihil prætermiserunt nefandi sceleris, & nequitiæ quod non conceperint. Nam & mercatores quosdam miserè diuexatos, & bonis exutos omnibus, crudelissimè interemerunt, & ciuium domus perscrutantes, ac quicquid vspiam nanciscì potuerunt diripientes, tantum pauoris cunctis incusserant, vt (tanquam in capta vrbe) ciues

hostilia omnia metuentes, lamentabili clamore cuncta replerent. Tantaque nefarios homines & humani iuris,& diuini (quo se deuinxerant) cœpit obliuio, vt cùm onusti præda, & pænè humano respersi sanguine, è ciuiũ tectis recessissent, omnem vndique vrbem (quacunq; incedebant) impio latrocinio exsultantes, importunis vlulatibus ac insanis permiscerent. Demùm à scelere ad scelus dilapsi, in tabernam cuiusdam *Hugonis* de *Bramholm* irrumpentes nihil illic vini reliquerunt, quod non aut turpiter exhauserint, aut dolijs cõfractis & pertusis sceleratiùs effuderint. Hanc tantã ac tam inauditam in omni genere crudelitatis libidinem exosi ciues, cùm illos immani rabie præcipites ad vim ac cædem ferri cõspicarentur, cõmuni consilio illorum pestiferis conatibus obsistere decreuerunt. Itaque missis celeriter nuntijs, qui maiestatem regiam de hoc tã nefario tumultu certio-

certiorem facerent, quiq́ue de religioſorum iniurijs grauiſsimis verbis conquererentur: ipſi conuocatis vndique auxilijs, ſe ad vrbis defenſionem accinxêre. Sed vt ſunt hominũ pleruńq; mentes ac naturæ, in inimiçitijs perſequendis effrænatæ nimiũ ac præcipites: ſic iſti iracundia & vlciſcendi deſiderio intemperantiùs (quàm par fuit) elati, conſimili ſe ſceleris atrocitate conſtrinxerunt. Etenim cùm vndique omnibus ex locis hominũ concurſus fierent, vrbiſq́ue præfecti palàm edixiſſent, vti cuncti in foro ad horã decimam conuenirent, tanta multitudo armatorũ ciuium confluxit, vt pænè iuſti exercitus ſpeciem præberent. Qui ira & odio ardẽtes, tam violento & horribili impetu de foro ad Prioratũ cõuolauerunt, vt vno eodemq́; momento diuerſis locis ignem iniecerint. Vnde factum eſt, vt campanile, portæ, Monachorũ cellulæ, ſtabulum Prioris, piſtrinum, hoſpitia

pauperum, denique templum ipſum, & propinqua templo loca cuncta, acerbiſsimo incendio deflagrarînt. Vt verò exuſtis valuis aditum ipſi ſibi in cœnobium patefeciſſent: magna religioſorum ſtrages facta eſt, multíque mortales ferro vtrînque abſumti. Quo in certamine ſuperiores ciues, à cædibus ad prædam dilapſi, memores crudelitatis & iniuriarum quibus eos pridiè Monachi affecerant, nihil intactum relinquere decreuerunt, adeò vt libris, vaſculis argenteis, ſacrę ſupellectili, cunctiſq; religioſorum theſauris ſacrilegas manus admouerent. Tantuſque ſtupor ſeu potiùs furor omnium animos tenuit, vt cũ mutuis cædibus vrbem hij, Prioratum illi afflixiſſent: neque hij tãtarum calamitatum ſenſu ac recordatione, neque illi (in grauiſsimis malis) diuini numinis metu ac reuerentia, à tãti ſceleris diritate reuocarẽtur. Quinetiam tantum abfuit monachorũ vt animos aut

tædium

tædium malorũ, aut vrbis, templíue deflagrantis commiſeratio ſubiret, vt Prior ipſe (ſic religioſorũ antiſtitem appellant) ex *Geremutha* armatorũ ſubſidia accerſierit. Qui infeſto agmine vrbẽ intrantes, cũ omnia tubarũ ſono, & hoſtili clamore cõpleſſent, cũcta ferro ac flãmis miſcẽtes, vt religioſorum animos nõnihil ad ſpem ſalutis erexerant, ita ciuium mẽtes incredibili luctu perculerũt. Nec defuere ſanè horrẽda prodigia, præſagaq; iræ cœleſtis indicia, quæ fatalem illã vrbi cladem denuntiauerunt. Etenim eodem anno, immò eodem pænè menſe, quo hæc patrata ſunt, cùm Monachi (vt fieri conſueuit) de re dubia deliberabundi, frequentes conueniſſent, tantæ ſubitò ortæ tempeſtates ſunt, cum magno fragore tonitribuſq;, vt turrim excelſã & duas colũnas lapideas deturbarẽt. Quo repentino caſu cùm ingens cunctis eſſet terror iniectus, monachi de templo vniuerſi diffugerũt,

(tribus

(tribus duntaxat exceptis) qui præ metu exanimes conciderunt.

Prętereà formidabilis & inaudita aquarũ vis regiones vicinas inundauerat, tantumq; vastitatis & agris & vrbibus inuexit, vt domus, & obuia quæque lamentabili ruina peruerterit. Multaque alia euenerunt, quæ maximarum semper solent esse calamitatum prænuntiæ.

Veruntamen diuina non solùm monita ingruente fato spreta sunt, sed humana insuper consilia neglecta. Nam priusquã cædibus, rapinis, ferro, flamma, & mutua internecione ipsi alternatim se funestassent, re adhuc integra multi sancti ac prudentes viri, tam pernicioſorum consiliorum exitus, longè antè animis prospiciẽtes, ab vtrisq; vehementer contenderũt, vt sese ad aliquam otij & tranquillitatis conditionem traduci sinerent. Excepta res primùm est omnium consensu, arbitrique ex vtraque parte delecti, quibus permis-

permissum vti de re tota statuerent atque deliberarent. Verùm eiusmodi cùm horum hominũ mentes erectæ in spem pacis, nihil aliud percuperent, votisq; omnibus exoptarent, nisi vti res primo quoquo tempore transigeretur, cumque iam veluti fœderis leges, quibus vtriq; parti caueretur, descriptæ forent, eæq; tabulis comprehensæ palàm recitarentur: tãtum afuit vt ad pacem & concordiam mutuis sensibus cõspirarint, vt ipse Prior (quod anteà se facturum spoponderat) pacificationem illam sigillo suo confirmare recusaret, vnde omnes illi fluctus posteà in rempublicam redundarũnt. Et certè nisi rex ipse *Henricus* (eius tum nominis tertius) profligatorum hominum consilia aduentu suo dissipauisset, fieri nõ potuit quin vrbs vna, (omnium pænè pulcherrima) tãto labefactata motu funditùs cõcidisset. Veruntamen is celeriter nefariorum pestiferos cœtus profligauit, &

ruenti ciuitati ſubuenit, eamque ferè è flammis eripuit: demùm ſolutos nimium & fluentes ciuium mores iudicij ſeueritate conſtrinxit. Etenim poſtquàm ad illius aures iſtius tanti tumultus fama peruenit, ſtatuit ipſe *Norwicum* proficiſci, atque in ſceleribus vindicandis boni Regis munere atq; officio defungi. Quo cùm omnium opinione celeriùs veniſſet, illicque miſerabilem vrbis ac templi deflagrationem conſpexiſſet, cædem, vaſtitatem, rapinas, & quicquid præterea mali vel prædæ cupiditas, vel odij acerbitas ciuitati inflixiſſet, tam incredibilis erat is, quem & oculis vſurpauerat, & hauſerat animo dolor, vt vix ſibi Rex optimus temperaſſe dicitur, quin eum lachrimis exprimeret. Itaque confeſtim *Nicolaum Triuetum*, litium ac iudiciorum moderatorem ſummum, ad cauſam adhibuit, illique inquirendi munus coràm delegauit, iuſſitq; vti pœnam vnicuique

pro

pro criminis atrocitate infligeret. Interea Rex ipse ciuitatem omni iure ac libertate priuauit, veteres immunitates abrogauit, leges dissoluit, magistratus, senatum, publicū ex vrbe consilium sustulit, imaginem nullam Reipublicæ reliquit. Nimirùm hoc voluit sapientissimus princeps, vt quæ ciuitas illustrissimorum Regum benignitate ad vim & scelus abusa foret, ea careret ijs rebus omnibus quibus cæteræ florentes ad maximam amplitudinem conscenderunt. Dein Episcopus *Roffensis* (fortè enim hic quoque aderat) omnes qui hanc pernicioſorū flagitiorū societatē coissent, diris ominibus, & exsecrationibus publicis deuinxit.

Attamen Monachi è iudiciorū laqueis elapsi, rem integram *Romam* reiciunt. Ea etenim illius temporis calamitas, & Regum miseranda conditio fuit, vt ne Principi quidem ipsi ius suos in ciues foret, nisi accessisset nefanda, impu-

rissimi sacerdotis auctoritas. Vnde factũ est, vt sæpenumerò perditi homines, ijs soluti legum vinculis, quibus alij astricti tenerentur, (velut ferę è custodia emissę) omni se nequitia ac fœditate commacularẽt. Quemadmodũ Monachi, qui cùm auctores scelerum, principes tumultuum, euocatores *Yeremuthensium*, & hominum profligatissimorum concitatores exstiterunt: tamen ad *Papam* prouocãdo, viri teterrimi, fallacissimi, crudelissimi, ac omnium impuritatũ libidinumq; maculis notatissimi, id consecuti sunt, vt ijs se iudiciorum flammis eriperent, quibus miseri ciues conflagrauerũt. Etenim oppidanorum magna multitudo, qui se ijs tumultibus immiscuerant, multique mortales qui in patrandis cædibus, templis inflammandis, sacris auferendis, diro se scelere contaminassent, ad equorum caudas deligati, & per plateas ac viarum strata ignominiosissimè tracti sunt: ac acer-

acerbissima demùm morte mulctati. Mulier etiam quæ princeps ignem portis subiecisse dicitur, combusta fuit: dignam factis passa pœnam, vt quæ ignem ad sceleratæ mentis libidinem explẽdam adhibuisset, eadem ambusta quoque flãmis igne interiret.

At Monachi (vt anteà dixi) cùm ad Pontificem Romanum prouocassent, eo artificio in *Romanorum* mentibus deliniendis vsi sunt, vt nõ solùm furorum supplicio sese expedirent, verùm etiã in posterum (vt videbatur) flagitiorũ omnium impunitam licentiam consecuti sint. Etenim cùm alij capitali pœna plectuntur, alij tanquam criminis immunes supplicij terrore liberantur, quis non videt flagitiosissimo sceleri, insidiosissimã pacem concedi? Monachi igitur cùm duos è cœtu suo *Romam* misissent, *Geruasium Fordhamium*, & *Richardum Bramtonum*, qui procuratorum vice fungerentur, ijsq;

quattuor (vt appellant) ſuffraganorũ eccleſiæ *Cãtuarienſis* litteras ad *Papam* dediſſent, quibus in litteris totius tumultus hiſtoria perſcribebatur, tãtùm opibus & gratia valuerunt, vt Maximus Pontifex cognitionem de poſtulatis Monachorũ contrà ciues *Norwicenſes*, ad Antiſtites *Elienſem* & *Londinenſem* diplomate ſuo reiecerit. Sed *Londinenſi* alieniſsimo tempore, in ipſo ferè huius relligioſiſsimi certaminis initio exſtincto, Monachi re infecta, cum *Elienſis* litteris ad ſacroſanctum Pontificem denuò *Romam* reuertuntur. Verùm non ita multò poſt contigit, vt (cùm *Edouardus*, eius nominis primus (pater enim recens obierat) è terra *Sancta* in *Angliam* rediens, in itinere *Romam* veniſſet, ibiq; honorificentiſsimè à *Papa* & purpuratis ſuis exciperetur) Monachi à *Romano* Præſule facilè impetrarûnt, vt totius litis æſtimandæ poteſtas Maieſtati Regiæ permitteretur.

Qui

Qui demùm deprecante, atque adeò inſtigante *Rogero Norwycenſi* Epiſcopo, ſecundùm Monachos ſic decreuit.

1. Primùm vt vtrînque in perpetuum inimicitiæ ac ſimultates omnes, omnium ex animis radicitus exſtirparentur.

2. Tum vt ciues ad reficiendam Eccleſiam, & ea inſtauranda, quæ vel flammæ vis, vel hominum furor diuaſtaſſet, millia mercarum tria infrà ſex annos perſoluerent: videlicet quotannis quingentas. 3. Deinde vt vas aureum ſeptem pondo confeſtim fieri curent, quod Chriſti corpori ſuſtinendo, (ſic enim Cererem illam ſuam Papiſtæ nuncupant) perpetuò deſeruiret. 4. Prætereà vt ex quacunque ciuitatis parte collibitũ foret, in cœnobium vltrò, citroq; commeandi poteſtas detur, portaſque vbi velint conſtituant, dummodò detrimento neminem, aut grauiore incõmodo afficiant. 5. Vltimum fuit, vti proprijs ſumtibus

ſumtibus ciues, homines idoneos *Romã* mitterent, qui ſummum Pontificem de tota re certiorem facerent, ciuibuſq; ſuis deuotis iam, & admiſſorum conſcientia conſtrictis, pacem ac veniam demiſsè deprecarentur. Hæc vti ciues præſtitiſſent, Rex eos priſtinæ dignitati reſtituit, magiſtratus reddidit annuos, Senatum, conſilium publicum, omniaq; ea quæ Pater dudum ademerat. Ærarios tamen eſſe iuſsit, vtpote qui ab illo tempore in hodiernum vſq; diem, ad perpetuam eius rei memoriam, quadraginta ſolidos quotannis Regi perſoluerint.

Atque hunc exitum habuit ciuium temeritas: & Monachorum nefandũ ſcelus: qui etſi in vrbe violanda fraudes inexpiabiles concepiſſent: auctoreſque eius tumultus exſiſterẽt: tamen operæpretiũ erit animaduertere, quemadmodũ præſulum iniquitate ſupplicio ſeſe ſubtraxerint, & miſeros ciues in flammam illorũ tempo-

temporum coniecerint.

Visum est autem nobis sempiternis literarum notis, testata hæc atque expressa ante omnium oculos ponere, vt mali exemplo admoniti, pœnaque deterriti, meliores efficiantur: boni verò in virtutis via quam semel ingressi sunt alacrius insistant. Quæ certè cogitatio longius orationem prouexit, quàm aut opinio tulerit, aut voluntas mea, sed dum omnia nõ quo decet iudicio, sed legentium cõmodo metimur, factum est, vt verbosiores fortasis hac in parte quàm par est, exstiterimus. Quapropter his omissis, reliqua eâdem qua instituimus breuitate, persequamur.

Restincto igitur (vt paulò antè memorauimus) hoc funesto fatilique incendio, *Rogerus Skeryngus* (solutis demùm caducæ carnis vinculis) ex hac fragili turbulentaq; vita migrauit. Post cuius obitum ad *Gulielmum Mideltonum* Archi-

diaconum Cantuarienſem, Pontificius honos deuenit.

Hic Eccleſiam *Norwicenſem*, crudelibus nuper deformatam flammis, reſtaurauit, eamq; nunquam anteà dedicatam, conceptis ſollenniter de more votis, rege *Edwardo* præſente, multiſq; regni antiſtitibus, atq; proceribus conſecrauit. Ceſsit è vita anno Pontificatus ſui vndecimo: pridiè Kalend. Sept.

Cui Monachi communi conſenſu *Radulphum* de *Walpoole* ſuffecerunt, qui ſacris inſignibus ab Archiepiſcopo *Ioanne Peckamo*, *Cantuariæ* ſuſceptis, *Norwicenſis* Præſul factus eſt, anno à Chriſto nato milleſimo, ducenteſimo, octuageſimo octauo: (& Regis *Edwardi* eius tum nominis primi) ſeptimo. Quā cū annos vndecim prudenter ſatis, ac piè gubernauiſſet, à *Norwicenſi* ad *Elienſem* Epiſcopatum à *Bonifacio Romano* Pontifice euectus eſt. A quo tempore non ita diu ſuper-

ſuperſtes fuit: Etenim ſecundus à tranſlatione (vt loquũtur) annus nouæ dignitatis, vitæque finem fecit.

Idem *Bonifacius* qui *Radulphum* exſtulerat, illumque *Elienſi* (vt modò diximus) Eccleſiæ præpoſuerat, *Ioannem* quendam eiuſdem Eccleſiæ præfectum, *Norwicenſi* pontificatu inſigniuit. Hic diplomata quædam & codicillos de primis fructibus, à *Clemente* Papa impetrauit: Ædiculamq; quandam ad occidẽtalẽ cathedralis Eccleſię partem cõſtruxit: quattuorq; ſacerdotes inſtituit, qui inibi Romanos ritus, ſacraq; peragerent. Magnam inſuper aulam & ſacellum in Palatio Epiſcopi, impẽſis proprijs exædificauit. Obijt in cœnobio Monachorum de *Folkſtane* iuxta *Doueriam*, anno Domini milleſimo, trecenteſimo, viceſimo quinto, pridiè nonas Iulij.

Inter hunc & *Gulielmum Ayerminum* numerant nonnulli *Robertũ Baldockum*,

Regis *Edoardi* Cancellariũ, primarium ſanè virum & illuſtrem. Veruntamen hic Monachorum renuntiatus ſuffragijs tantùm, cùm eam dignitatem intellexiſſet, nemini, præterquàm ad Romani põtificis libidinem ac nutum delatam iri, ſponte ſua ceſsit, ne fraudi Monachis foret, quod eum inſcio *Papa* (& fortaſsis inuito etiam) delegiſſent.

Quapropter *Gulielmus* (is de quo paullò antè mentionem fecimus) paucis interiectis diebus, ex Romani Præſulis auctoritate, epiſcopalem prouinciam obtinuit. Fama eſt hunc pluſquam anili ſuperſtitione implicitum, ducentas libras duobus Monachis dediſſe, nimirùm vt illi, & qui in poſterum eo munere (quod illi tum fortè habebant) fungerentur (erant autem cœnobio à vinis) perpetuò defuncti memorię, miſsis & ſceleſtiſsimis ritibus parentarent. O admirandam illorum temporum cœcitatem. Sperabat videli-

videlicet prudẽtiſsimus pontifex his nefandis peractis ſacris, diuinũ numen placari poſſe: perindè ac vitiorum omnium labes, mortalium mentibus ſuffuſæ (talibus tanquam piaculis) puriter expiatæ, diluerentur. Obijt *Sharingiæ* iuxta *Londinum*, anno pontificatus vndecimo: & Cal. Apr. ſexto.

Huic ſucceſsit *Anthonius* de *Beck*, ſacræ Theologię profeſſor, qui cùm *Romæ* diu in aula ſummi antiſtitis, & in illis põtificijs ſordibus vixiſſet, ſeque ibidem in ſacrarum rerum nundinationibus per aliquot annos quæſtuoſiſsimè exercuiſſet: facilè tandem ſceleſtus, à ſceleſtiore præſule, præſul impetrauit, vt eum *Norwicenſi* Epiſcopatui præficiendum curaret. Nunquam effluxerant illi ex animo ea quæ *Romæ* dudum didicerat, itaque importunam tyrannidem & immanem in Eccleſia ſua exercuit, itaque ſe geſſit, vt nihil illo inſolentiùs vnquam exſtiterit.

Omnem ſiquidem Monachorũ in rebus domeſticis adminiſtrãdis potẽtiam infregit, & imminuit, eamq; totã ad ſemetipſũ inſidioſiſsimè tranſtulit, neq; paſſus eſt quenquã munere aliquo defungi, quẽ nõ ad id, ipſe prius deſignauiſſet. Cũq; *Robertus Wincheſleeus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, *Norwicenſem* diœceſim (de more) peragrare decreuiſſet, quo ſordes quę huius cõtaminatiſsimi ſacerdotis dominatu in Eccleſiã influxerãt, diſciplina eccleſiaſtica exhaurirẽtur: apertè reſtitit, cõfirmans, nullubi ſe niſi *Romæ*, reſponſurũ, monachoſq; alios ſpe, metu alios ita deuinxit, vt cõiunctis animis ad vim manifeſtã & apertã conſenſerint. Sed diuinitùs cõtigit, vt qui flagitioſã vitã vixerat, non niſi flagitioſiſsimo ſcelere cõciderit.

Etenim veneno à domeſticis de medio ſublatus, ſempiterno nobis terrori debet eſſe, & exemplo, vt ſi quando vitiorũ impunita libertate lætemur, irã tamen ſemper diuinã, maximorũ quotidiè facinorũ ſpe-

ſpeculatricẽ ac vindicẽ pertimeſcamus.

Becko à domeſticis (ita vt diximus) peremto, *Gulielmus Batemannus* iuris ciuilis doctor, *Norwici* natus, indidẽq; Archidiaconus, Romanęq; curiæ arbiter & interpres, omniũ monachorũ ſuffragijs põtifex declaratur. Huius antiſtitis tẽpore, nimirũ anno poſt natũ Chriſtũ ęternę ſalutis authorẽ. 1348. dira peſtis perniciosiſſima lue vrbẽ quaquauerſus peruaſit. Etenĩ turpis morbi cõtagio per vulgus improuidũ ſenſim ſerpẽs, horribilem vbiq; mortaliũ ſtragẽ edidit, adeò vt in ciuitate aſsiduis exhauſta funeribus, nemo penitus exſtiterit, ad quem nõ ex tãta tabe, aut mœror, aut morbus, aut mors deniq; peruenerit. Fama ſiquidem eſt (religioſis & monachis pauperioribus exceptis) à Calẽdis Ianuarij vſq; ad Calẽd. Iulij, 57104. homines, ea clade concidiſſe. Enimuerò ingentem peſtem eſſe oportet, & ad memoriam illius tẽporis ſemper inſignem,

quæ

quæ tam exiguo ſpatio, tantam hominum multitudinem tam miſerabili interitu deleuerit.

Erat *Batemannus* iſte eccleſiæ ſuæ propugnator acerrimus, adeoque ſe in eius libertate tuenda inuictũ præbuit & magnanimum, vt ne iram quidem Regis, nedum magnatũ minas metueret. Etenim tantum afuit vt eccleſiæ ſuæ conceſſa iura, & conſuetudines, procerũ libidine conuelli aut labefactari ſineret: vt ipſe permultos talia conãtes, cõſtanti ſemper mentis robore compeſceret ac coerceret. Veluti cùm tẽpore quodã Dominus *Robertus Morleius*, famulos quoſdam illius (fortè vt fit) iniurioſius tractauiſſet, & in damarum ſeptis feras quoque nonnullas per luxum atque laſciuiam, iuueniliter confixiſſet: adeò implacabili iracundia mitiſsimus pontifex exarſit, vt nunquam conquieuerit, donec nobiliſsimum adoleſcentem, turpiſsimam pœnam ſubire coegiſſet.

Nudo etenim & capite, & pedibus, cum funali cereo, (quem incẽſum manu magnum tenebat) per plateas (cũctis inſpectantibus) ad templum incedere coactus eſt, ibiq́ue ad altare ſummum magna corona ciuium circumfuſus, conceptis ſollenniter votis, pacem diuinam expoſcere, & pontificis à ſe odium ac ſimultatem deprecari. Quod eò mirabilius videri debet, quandoquidem infenſo grauiter Rege, ac planè inuito, neq; id ſolùm: verùm literis etiam, ac Regijs interdictis id ne faceret imperante: tum carceris interdum pœnam, ac omnium bonorũ amiſſionem denuntiante, in ſentẽtiæ ſuæ propoſito nihilominùs perſiſteret. Prætereà Epiſcopalem auctoritatem litibus & cõtrouerſijs valdè implicatam, & inuolutam expediuit, & à *Clemente* Antiſtite Romano (eius tum nominis ſexto) omnium eccleſiarum *Norwicenſium* vacãtium (vt vocant) fructus, ſibi ac ſucceſſo-

ribus ſuis impetrauit. Quæ contentio inter Præſulem & diœceſim agitata diu, & forenſi iactata ſtrepitu, ſic demùm à põtifice Romano repreſſa, conquieuit. Iuriſconſultorum amantiſsimus fuiſſe perhibetur, vtpote illorum, quorum è diſciplina ipſe, totus ad hominum famam, & eam quam conſecutus eſt dignitatẽ profluxiſſet. Proprijs itaque ſumtibus *Cantebrigiæ* collegium exſtruxit (eam quam hodiè Trinitatis aulam nuncupant) prędijſque nonnullis locupletauit. Neque hoc ſolùm, ſed illius etiam hortatu, & impulſu, *Gunuylius* quidã ſacræ Theologiæ profeſſor, aliam itidem ibidem inſtituit, & ex ſuo nomine aulam *Gunuylenſem* appellauit: quam nuper *Ioannes Caius* vir omni literarum genere præſtans, ac medicinæ ſcientiſsimus, ſuis impenſis auctam mirificè, amplificatamq; illuſtrauit.

Incidit interea inter *Angliæ* & *Galliæ* reges, grauis de totius *Franciæ* hęreditatis iure

iure contentio, qua de re cum mittendi essent *Romam* homines idonei, qui pontifici Regis nostri causam probarent: hunc potissimùm Rex deligendum sibi putauit. Quo in munere obeundo *Auinione* mortuus est, anno salutis nostrę millesimo, trecentesimo, quinquagesimo quarto.

Quo sepulto, *Henricus Lancastriæ* dux, qui *Thomam Perceium* comitis *Northumbriæ* fratrem magnoperè dilexerat, ab Antistite Romano, absens, per litteras vehementer contendit, vt eum honorem ei deferendum curaret. Quibus importunissimis flagitationibus breuî perfecit, vt Pontifex ipse (quandoquidem Monachi id facere recusauerant) eundem *Thomam Perceium* Norwicẽsis ecclesiæ præsulem constitueret.

Hoc põtifice peratrox tẽpestas & sæuior quàm vnq̃ anteà per id anni tẽpus homines meminisset, subitò coorta est, cœlũq̃;

tam horribili fragore & fremitu intremuit, vt toti pęnè terrarum orbi extrema clades impẽdêre videretur. Etenim certantium inter se ventorum tanta fuit rabies, vt transuersis flatibus domibus, ac templis incidentes, celsiora quæq; miserabili ruina prosternerent. Qua procella multis ædium tectis impulsis & euersis, cathedralis Ecclesiæ quoque campanile, eodem turbine disiectum concidit, maximamq; templi partem vicinaque templo ædificia deturbauit & afflixit. Quibus detrimentis resarciendis, non solùm ipse quadringẽtas marcas dedit, sed à clero etiam magnam pecuniæ summã impetrauit. Decreuit hic quondam decanatus omnes qui proprie ad Ecclesiam cathedralem pertinebant, sacello sanctæ *Mariæ* (vt Iurisconsultorũ verbis vtar) appropriare, sed cùm Monachi id neutiquam licere ostendissent, facilè à sententia destitit. Migrauit ex hoc seculo anno ponti-

pontificatus ſui decimo quarto. A cuius morte, (id enim vti fieret teſtamento cauerat) ijs quibus ea cura demandata fuit, defuncti Epiſcopi nomine, domum & terras quaſdam in villis de *Kymerle*, *Caerlton*, *Fowrhow*, *Gromthorp*, & *Wikelwood*, Norwicenſis Eccleſiæ præcentori (vt loquuntur) in perpetuum dederunt. Ea nimirum lege, vt Antiſtitis demortui manes, profanis precibus expiarentur, miſſæq; funeſtæ (quo enim alio nomine mortuorum ſacra deſignem neſcio) in Cathedrali templo ad illius animæ ſalutẽ quotidiè conciperentur. Lubet ergo exclamare cum *Lucretio*:

O miſeras hominum mentes, ô pectora cœca,
Qualibus in tenebris vitæ, quãtiſq; periclis?
Degebãt veteres, quos ſomnia dira Paparũ
His merſere malis?

Celeriùs opinione omnium defuncti Antiſtitis fama *Alpes* peruolauit, *Romamque* ad aures ſuperbiſsimi Pontificis

peruenit. Erant tunc, vt & hodiè sunt, semperq; fuerunt, *Romani* Præsules, ambitione, & illius intollerandæ potentiæ cupiditate adeò districti, vt intermissis sacrarum rerum studijs, perpetuis sese bellorum tumultibus implicarent. Itaq; semper maximis militum copijs circumfusi, vim & terrorem vicinis vrbibus inferunt, neque vnquam consistere possunt, quamdiu aut in inimicitijs persequendis, naturæ acerbitas stimulos admouet, aut in imperij finibus propagandis nefariæ eos cupiditatis aura prouehit.

Sub hoc igitur *Papa* stipendia tum fortè merebat *Spencer* adolescens sanè nobilissimus, qui cognita morte Antistitis Norwicensis, *Papam* adit, rogat vt *Henrico* fratri (fortè & hic quoq; aderat) illius prouinciæ pontificatum deferri sinat. Fit voti compos adolescens, fraterq; confestim ex milite Antistes creatur. Itaque proti-

protinùs magnis itineribus in *Angliam* contendit, ibiq; a.d. XVII. Kal. Aprilis, anno Domini. 1370. in Eccleſia ſua ab Archidiacono Norwycenſi conſecratus eſt.

Fit magna mutatio non viri, ſed veſtis: etenim qui ab ineunte ætate ſic vitã inſtituit ſuã, vt ſeſe perpetuò militiæ aſſueuerit, quid mirum ſi huius menti bellandi ſemper ardor inexplebilis inſederit? Itaq; accepta ab *Vrbano* ſexto, inaudita poteſtate contrà ſchiſmaticos (ſic appellabantur qui à Pontifice Romano iniurioſiùs tractati, illius imperium aſpernabantur,) quarto nonas Maij inſtructa claſſe, cum ingenti exercitu, inuito tamen Rege in Belgium traiecit, vbi fuſis profligatiſque triginta hominum millibus, ſeptem autem interfectis atque conciſis, *Dunkirkum*, *Neoportum*, *Burburgum*, *Poringum*, *Grauelingum*, cæteraſque maritimas vrbes fœneſtiſsimis flammis

flammis deleuit. Atque hæ fuerunt illæ pontificię cohortes, ex flore ſcilicet ac robore ſuperſtiſsimorũ hominum delectæ, ſacrati (ſi dijs placet) relligione milites, ac croceis crucibus inſigniti, quorum dux fuit & anteſignanus Epiſcopus *Norwicenſis*, vir equidem ferocia inſigni, atque inaudita ſpiritus immanitate præditus. Qui (vt paulò antè memorauimus) ne Regi quidem ipſi reclamanti, atque adeò per litteras ſæpenumerò ne in *Belgium* tranſmitteret denũcianti, obſecũdauerat.

Nec domipacatior quã foris fuit: quippè qui Monachis atrox & inexpiabile bellũ indiceret: eoſq; omni iure antiquo, ac libertate priuare conatus ſit: adeò vt per annos quindecim multis vexatos iniurijs, incredibiliter afflixerit. Diù tamen reſtiterunt Monachi, ſed tandem forenſi decertatione fracti, ac debilitati, omnis ille repugnandi feruor ac impetus ita refrixit, vt eò demùm deuentum fuerit, vt

ſponte

ſponte quadringentas marcas antiſtiti dare conſentirent. Huiuſmodi terrenorum tumultuum tempeſtatibus per omnem ferè vitam, tanquam in medio ambitionis mari iactatus, demùm, cùm Eccleſiæ triginta ſeptem annos præfuiſſet, ex huius miſeræ vitæ vinculis euolauit. Vir Marti magis quàm Chriſto conſecratus atque deuotus.

Huic ſucceſsit *Alexander*, eccleſiæ quõdam *Norwicenſis* Prior, cunctis monachorum ſuffragijs pontifex renuntiatus: ſed Regi inuiſus, qui tantum afuit vt dignitate illa perfrui potuerit, vti per annũ ferè integrum *Windeſoriæ* Rex carceris eum cuſtodia coerceret. Biennio poſt, deprecante *Thoma Arundelio* Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, & alijs regni proceribus, priſtinam dignitatem recuperauit. A quo *Glauceſtriæ* conſecratus eſt, anno Domini milleſimo, quadringenteſimo, octauo. Hoc de Pontifice nihil memo-

ria dignum, in Antistitum annalibus reperitur, præterquam quòd illo Ecclesiæ præsidente maxima pars ciuitatis fortuitis perusta flammis deflagrarit.

Obijt sexto pontificatus sui anno, sepultusq; est in ecclesia cathedrali, in sacello beatæ Virginis *Mariæ*, ad pedes *Gualtheri* eiusdē quondā prouinciæ Episcopi.

Illustri familia natus *Courtneius*, vtriusq; iuris peritissimus, ac Oxonienſis Academiæ Cancellarius, rege *Henrico* (eius nominis quinto) vt id fieret magnoperè contendente) *Alexandro* sepulto, cōmuni monachorū cōsensu pōtifex delectus est. Ac nō ita multò post ab Archiepiscopo Cātuarienſi, præsente Rege *Henrico Cātuariæ*, in maxima nobilissimorū hominū frequētia, pontificijs fuit velatus insignibus. Nobilitatē generis exornauit decora facies, & erecti corporis celsus honos, quapropter Regi quoad vixit ita charus ac iucūdus exstitit, vt eū semper implicatissimis

tissimis regni negotijs interesse voluerit. Sed vt optima quęq; (flosculorũ ritu) celeriter defluunt, sic hũc nobilissimũ antistitem tũ primũ ad gloriam & dignitatẽ floreſcẽtem, mors immatura (tanq̃ turbine aliquo, aut subita tẽpestate) peruertit. Etenim in *Normãdia* secundo post cõsecrationẽ anno acerbissimo fato exstinctus est, vndecimo Kal. Septemb. anno Domini millesimo, quadringentesimo, decimo quinto. Verùm cadauer perhorificẽtissimè in *Angliam* delatũ, *Westmonasterij* inter Regum sepulchra, tumulo magnificè illatum, conquieſcit.

Pietate, prudentia, mãsuetudine, beneficentia, vitæ integritate, omniq; virtutũ laude redũdauit, *Ioannes Wakeringus*, qui post *Courtneium* proximus in Norwicẽsi eccleſia pontifex consedit. Hic regij sigilli custos, à Monachis electus fuit (anno ab orbe redempto, millesimo, quadringẽtesimo, decimo sexto) & ab *Hẽrico Chichleio*

Cantuarienſi Archiepiſcopo ſacris (vti tũ vulgò videbantur) ornamentis de more circundatus. Horribilis eo tempore tempeſtas Eccleſiam *Romanam* afflixit: ſiquidem tres ſimul Papæ vno atque eodẽ momento, inter ſe de dignitate pontificia inimiciſsimè depugnarũt. Quorum diræ, exſecrationes, anathemata, pugnę, tumultus, bella, omneſq; intolerandi illius dominatus procellæ, tanto impetu (velut ſæua diuerſorum ventorum rabies) conflixêre, vt totum pęnè terrarũ orbem vehementer concuſſerint. Ideoq; celebratum fuit concilium *Conſtantienſe*, quo *Ioannes* cum multis alijs *Angliæ* antiſtitibus, à Rege miſſus fuit.

Qua in legatione ita boni paſtoris munere perfunctus eſt, vt omnes illi pietatis atq; prudentiæ ſummæ teſtimoniũ perhiberint. Clauſtrum quod hodie in palatio pontificis viſitur, conſtruxit, idque verſicoloribus ſaxis ſtrauit, magnificè ſanè

sanè, & ad oculorum voluptatem eleganter distinctis. Demùm perfunctus omnibus huius ærumnosæ vitæ molestijs, decessit, humatusque est in Ecclesia cathedrali ante altare Diui *Georgij*.

Gulielmus Alnwyckus legum doctor (& ipse quoq; regij sigilli custos) Episcopalis imperij dignitatem adeptus est, anno salutis humanæ. 1426. *Londini* in tẽplo beati *Pauli* ab Archiepiscopo Cãtuariensi consecratus fuit. De hoc nihil memoria dignũ litterarum monumentis proditur, præterquã quòd portas occidentẽ versùs, in Ecclesia cathedrali, & fenestrã magnã fieri fecerit, quodq; decimo pontificatus anno, *Cãtuariensis* Prẽsul eũ à *Norwicẽsi* episcopatu ad *Lincolniensem* transtulerit.

Fuit eo tempore in concilio *Basilienſi* *Thomas Brounus*, antistes Roffensis. Huic omnium consensu, absenti tunc, ac nihil tale exspectanti, delata est Norwycẽsis Ecclesiæ dignitas. Quo sacris præsi-

dente, contigit vt ciues Norwicenses cõiunctis sensibus, ad subuertendam ecclesiæ libertatem denuò conspirarent. Multa igitur conati sunt, multa in pestem & exitium Ecclesiæ machinati, sed huius Pontificis animi excelsi atq; inuicti, magnitudo ac robur, omnes illorum impetus retardauit atque repressit. Verùmenimuerò cùm nouem iam annos in sede pontificia cõsedisset, vita functus est, exulceratis adhuc ciuium animis, & Ecclesiæ infestis. Anno Domini. 1445. & Regis *Henrici* eius tum nominis sexti, vicemo septimo.

Quem subsecutus est *Gualtherus Hert*, sacræ Theologiæ professor, cuius grauitati ac cõstantię ascribunt nonnulli, quòd illius prudẽtia delinita demùm plebe, exacerbatę ciuium mentes conquieuerunt. Cruci sustinendę (talia enim superstitiosa illa tẽpora desiderarûnt) templo transuersum pegma fieri fecit: pauimẽtumq;

Eccle-

Eccleſiæ ſaxo ſternendum curauit. Duodecim ſcholaſticis *Cantebrigiæ* in hoſpitio quod tum *Fiſchwyck* dicebatur (quoad vixit) omnia vitæ neceſſaria ſuppeditauit. Ceſsit è vita decimo ſexto Maij, 1472. atque ſub pegmate, quod vt antè diximus, cruci ſuſtinendæ conſtruxerat, tumulo conditus eſt.

Proximi ab illo numerantur *Iacobus Goldwellius*, & *Thomas Ian*, de quibus memoria dignum nihil certè accepimus, niſi quòd alter cùm viginti quinq; annos: vnum alter Eccleſiam rexiſſent, ex hac luce migrauerint.

Goldwellio tamen pontifice (neq; enim id ſilentio prætereundum videtur) a.d. V. Kalend. Ianuarij. 1480. per vniuerſam ferè *Angliam*, terra tremuit motu tã vehementi, vt celſarum domuum pinnæ, turreſq; templorum, tum innumera fumi receptacula (quę ſuprà ædium culmina tubo atq; calatho attolluntur) quaſſu diuulſa

diuulſa in vias, ipſaq́; in tecta corruerent. Præterea multarum vrbium domus (ſiquidem longinquus is terræ tremor fuit) pleræq́; omnes non ſine ingenti incolentium interitu, ruinam traxerunt. Sic vt cunctis pænè in locis proſtrata fanorum atque ædium cadauera, miſerablileſque villularum ſtrages conſpicerentur.

Fano Nixus ſurrogatur, cuius vitæ neſcio quas libidinũ labes vulgi ſermo impreſsit. Etenim illius turpitudo ac impuritates ſpurciſsimæ, in hodiernum vſque diem omnium ferè linguis ac vocibus celebrãtur: adeò vt nemo pęnè ſit, ad quem cœci Norwycenſis Epiſcopi fama non peruenerit. Tenebricoſiſsima tamen ætatis illius tempora, ortus præſtantiſsimi Præſulis illuſtrauit *MATTHÆI PARKERI* Cantuarienſis Archiepiſcopi: qui nuper ex hoc impuro lacrymabiliq́ue hoſpitio, ad cœleſtem & immortalem gloriam auolauit.

1575. XVI. Kal. Iunij.

QVO

QVO DE VIRO dicendũ mihi aliquid hoc tẽpore exiſtimaui, non quod illius dignitas egeat oratione mea, aut ego me eũ eſſe putem, qui tãti viri laudes ſcriptis meis celebrare queam: ſed quoniam res Norwicenſes explicandas ſuſcepi, ſi huius nominis memoriam ſilentio prætermiſiſſem iure reprehẽdendus viderer. Quid enim vel ad ciuium gloriam magnificentiùs? vel ad vrbis ſplendorem illuſtriùs? quàm eius viri nutricem ac alumnam exſtitiſſe, qui ingenio, doctrina, prudentia, probitate, omnibuſq; ſemper maximarum virtutũ ornamentis abũdauit? Habuit profectò ciuitas illa multos quõdam duces, belli gloria inſignes, habuit viros optimarum artium diſciplinis imbutos, habuit Præſules relligionis integritate præſtantes, ſed habuit externos: habuit alienos: non habuit domeſticos, nec in vrbe natos. Itaque factum eſt, vt non tantùm vrbem illi, quantũ vrbs illos

A a. deco-

decorauerit. Huic verò *Norwici* honeſtiſsima ſtirpe orto, vrbs illa contigit veluti altrix dignitatis ſedes: cui ſicut adoleſcẽs, gloriæ ſemper fuit & honori, ita quã ſenex meritis adeptus eſt dignitatem, ad ſempiternum patriæ nomen, & amplitudinem tranſfudit.

Ac ne illud quidẽ vereor, ne velle fortè videar cuiuſquam in aures verborũ blãditijs influere: præſertim cùm & meæ ſẽper ab ineunte ætate, vitæ ſuſceptæ rationes, has ineptias reſpuerint, & omnes, quorũ mentes inuidia non ſunt & maleuolentia ſuffuſę, multo illi maiora, & ampliora ijs, quæ ego dicendo conſequi poſſum, virtutum teſtimonia tribuerint.

Quanquam certè nõ ignoro quàm petulanter, ne dicã ſceleratè & impiè, in hũc eximiæ virtutis virũ improbæ plebis rumor acerbitatis & maleuolẽtiæ fuæ virus profundat. Sedenim, ecquis viuit mortaliũ cuius ad laudes nihil allinierit inuidia?

Num

Nũ quos fortes viros? quos claros? quos de republica benè meritos reminiſci poſſumus, popularis quos leuitas, & circumuolitantes fabulæ nec viuos læſerint, nec mortuos perſtrinxerint? Multæ ſunt (vt ait poeta neſcio quis) inſidię bonis: virtutiſq; comes (corporis vt vmbra) inuidia: porrò principibus viris aduerſaria ſemper fuit & infeſta vulgi temeritas: tum optimi cuiuſq; vita facinoroſorum perpetuò linguis patuit atq; libidini. Cæterùm qui cũctis mortalibus in hoc magno malorum mari, ad bonam famam bonorum (quæ ſola verè gloria nominari debet) vela dantibus, odij, ſimultatis, inimicitiarũ, & inuidię reflantes veluti venti ac turbines cõcitari ſolẽt: ii ſi huic vni tãdiu in his turbulẽtiſsimis offẽſionũ fluctibus iactato, ac iam pænè portum ingreſſo inciderũt, nũ cui mirũ videri poteſt? Perindè ac ſi magno, & deuexa iã ętate viro, & terrena oĩa infrà ſe habẽti, & contẽnenti,

dum nullos pro ſuis labores & pericula defugeret, dum curioſorum, atq; omnia perturbare cupientium leuitatem, grauitate ſua perfringeret : dum redundantes nonnullos, & immoderata licẽtia ſuperfluentes, reprimeret: dum quorundã hominum (nouitati atq; ineptijs indulgentium) impetus & conatus nefarios legũ laqueis irretiret : deniq; dum omnes curas, & vitæ rationes omnes, ad Chriſti gloriam, & Eccleſiæ commoda conuerteret: illud vitio verti debeat, quod popularis iracundiæ & maleuolentiæ tempeſtatem deuitare nequierit. Quaſi verò id aut optarît vnquam, aut ſperarît ſagaciſſimus ſenex, & planè veterator in communi vita : aut quas inuidiæ, & offenſionũ acerbitates in hoc terreſtri exilio pro Chriſti gloria ſuſceptas, mortalis põtifex negligeret, eas nunc demùm vita lapſus, immortalis, & inter cœlites æternùm aſcriptus ciuis reformidet.

Quamob-

Quamobrem tantum abeſt vt aſſentãdi crimen reformidem, quòd huic clariſsimo viro, & licet ſuo, nec Reipublicæ tamẽ nec noſtro tempore exſtincto ſeni, debitũ probitati præconium ſcriptis impertiuerim meis, vt certè niſi id feciſſem, ſceleris aut inſcitiæ ignominiã mihi ſubeundã exiſtimarem. Nam cùm Deus optimus maximus, huic præſtãtiſsimo prę-ſuli hanc mentem dederit, vt in omni ſua vita prę-ter virtutẽ, ac pietatem nihil adamauerit, ſceleratũ eum ſanè eſſe oportebit, & ab omni prorſus humanitate auerſum, qui tam claro & illuſtri viro virtutũ ornamenta inuiderit. Quis enim illo aut morum ſanctitate illuſtrior vnquam exſtitit? aut vllo genere laudis præſtantior? Quàm laudabiliter ſe geſsit in omni ætate? quàm conſtanter? quàm piè? quo maximarum ſemper artium deſiderio flagrauit? quo virtutum ardore? quàm admirabili, ac pænè diuino?

Cantebrigiæ diu vixit, liberalibus disciplinis vehementer deditus: & ita vixit vt in illo maximorum ingeniorum celeberrimo theatro, cunctos industriæ ac eruditionis admiratione commouerit. Fuit posteà tempore Regis *Henrici* (principis inuictissimi) in aula, & *Annæ* Reginæ à sacris, quid illo prudentius? quid sanctius? quid humanius? quid non modò in studijs, in moribus, in conuictu, in sermonibus, sed in ipso planè aspectu iucundius? Quis fuit quem non fama tantarum virtutum incenderit? Quis denique qui non intimis eum sensibus dilexerit?

Delatus est illi *Stokensis* decanatus, ac non ita multò post *Lincolniensis*, quo in munere fungendo, cùm incomparabili pietate, singularẽ humanitatẽ coniunxit. Nam & frequenter concionando multorum mentibus sanctitatis amorem infudit, & rem familiarẽ benignè largiẽdo miseró-

miſerorum inopiam ſubleuauit. Vndè factum eſt, vt quam ſacrarum literarum ſtudio conſecutus eſt ſcientiam, eam vita magis ac moribus, quàm oratione, aut verbis expreſſerit.

MARIANA tẽpora cõſecuta ſunt (tẽpora omniũ quę noſtra vidit ætas calamitoſiſsima) cũ rege *Edouardo* omniũ regũ optimo, crudeli funeſtoque fato exſtincto, *Mariæ* peruerſitas inſtitutã à patre, & fratre Chriſtianæ relligionis diſciplinã peruertiſſet, & Romanorum ritus ac ſordes denuò in eccleſiam inuexiſſet. Enimuerò tũ virũ optimũ omni eccleſiaſtico munere priuatũ, cunctiſq; fortunis excluſũ, graues cõmuniũ temporũ caſus perculerunt. Quid igitur? nũ quis eũ fracto vidit animo ac debilitato? nũ qua ſceleris aut ſuperſtitionis labe reſperſum? Nihil minùs. Itaque in ijs rerũ aſperitatibus, cũ Romanorũ ſcelus, nefãdis ritibus cũcta coinquinaſſet, omneſq; boni, cædẽ, flammam

flammam & horrenda quæque metuerent, ita aduersos temporum fluctus excepit, vt & omnem illam immanem Papistarum rabiem prudenter deuitaret, & se tamen semper ab impietatis lue purum immunemq; conseruaret.

Moritur intereà Regina, cui succedente illustrissima sorore *Elyzabetha*, subuersis omnibus superstitionum portentis, atque sublatis, pristinum Ecclesia decus recuperauit. Tum verò huic amplissimo Præsuli, non defuere diu quæ nunquam sperauerat, multò minùs optauerat tãtis debita virtutibus præmia. Nam cùm ita viueret, vt omnes semper spes in vno Deo defigeret, cæteraq; quæ tantoperè suspiciunt homines, & admirantur, perindè ac caduca & inania negligeret: ita manauit fama de admirabili eius prudentia, temperantia, doctrina, cæterisque virtutibus, vt ad aures demùm Regiæ Maiestatis accederet. Noluit illa pati diuti-

diutiùs iacere, tantam, & tàm excellentem, in omni genere virtutem. Itaq; protinùs eum non petẽtem, non ſperantem, propè etiam recuſantem, ad Cãtuarienſem Archiepiſcopatum euexit, nimirũ vt in ampliſsimo munere ampliſsima virtus, campum haberet in quo commodius poſſet excurrere.

Parem itaque iam propè voluntati facultatem nacta præſtans naturæ bonitas, omnem illam protinùs effudit, quæ intimis ſemper infixa ſenſibus inſedit humani generis iuuandi cupiditatem. Ab hoc ſtudio fluxerunt illa (quæ vtinam tam imitarentur multi, quàm cupiunt, & laudant omnes) in conſilijs grauitas, in Eccleſiæ muneribus obeundis ſedulitas, in tractandis rebus prudens cõſiliorum integritas, nihil in poteſtate inſolens, nihil ſublime, nihil in opum abundantia diſſolutum, ſed arctiſsimis cuncta temperantiæ vinculis aſtricta. Hinc illæ diurnæ,

nocturnæq; curæ in optimarum rerum cogitatione defixæ : hinc eruditorum hominum quotidiani complexus : hinc rei literariæ amor incredibilis : hinc in claris fouendis ingenijs excellens liberalitas: hinc Antiquitatis tanta notitia: hinc affectæ iam pænè ætatis insignis authoritas : hinc deniq; omnia illa quæ per sedecim ferè annos luxerunt inauditæ virtutis & ingenij ornamenta.

Iam verò illa quanta sunt? In summa fortuna summam tamen humanitatem exhibere? neminem aditu, neminem congressu, sermone neminem excludere : rebus aduersis ac calamitate pressis opem ferre, Christi profugos misericordia prosequi : Gallos, Hispanos, Belgas, Venetos, tam viros quàm fœminas omnium rerum inopes ac egenos singulari caritate complecti? Neq; hoc solùm sed annuã insuper nõnullis peregrinis stipẽ dilargiri, alios domi suæ liberalissimè sustentare,

ſtẽtare, omnes benificẽtia, & facultatibus iuuare: adeò vt nullus pænè ſit quem vel fortunæ calamitas vehemẽtiùs affligeret, vel iniqui temporis procella peruerteret, cui non aliquid opis & auxilij contulerit.

Quid hic commemorem quos quantoſq; labores ac ſumptus in antiquiſsimorum ſcriptorum codicibus conquirendis exhauſerit? quot libros vel hominum incuria vel temporũ calamitate corruptos, typis quã emendatiſsimos peruulgari fecerit? quemadmodum Academiam *Cãtebrigienſem* bonarum omnium diſciplinarũ matrẽ impenſis proprijs ornauerit? quàm elegãti muro ſcholas publicas prę-cinxerit? quanta ſacrorum voluminum multitudine bibliothecam nuper inſtruxerit? quibus deniq; beneficijs Corporis Chriſti collegium (cui ipſe quondam multis abhinc ãnis præfuit) illuſtrauerit? Sint hæc in illius laudibus minima: non quòd ſi ſpectẽtur ſingula, maxima videri

non debeant, ſed ſi ad illa quę dudum dixi, mentem conuerteris, multa & maiora & clariora videbis, quorũ lumine hę virtutes, ſicut luce ſolis ſydera, obſcurantur.

Atq; his tantis ſplendidiſsimarum virtutum ornamentis, cùm omnis anteacta ætas redundaret, tantum abeſt vt ſe illarũ intuitu, elatius efferret, aut popularem auram, & vulgi rumuſculos ardẽtius cõcupiſceret, vt ab aſpectu ſe pænè mundi & mortalium oculis ſubducens, omnia illa veluti inania ſeculi deliramenta contemneret.

Siquidem domeſticis otij ſui finibus cõtentus, terreſtrium tumultuum expers vixit, non tam comitatu ſtipatus famulorum ſuorum honeſtiſsimo (quos habuit ſanè quàmplurimos) quàm optimarum cogitationum ac virtutum cohorte (quæ ei ſemper comites fuerũt & adminiſtræ) circumſeptus. Itaque hoc conſecutus eſt, vt cùm gloriæ cauſa nihil fecerit, incredibili

bili tamen apud omnes gloria circũfluat.

Hæc igitur intueantur adoleſcentes, qui patriæ, qui hominibus iuuandis, qui verę laudi, qui gloriæ, qui Deo deniq;, vitæq; perenni, non deſidię, non ſomno, nõ delitijs, aut vitæ huius breuiſsimis inanibuſq; oblectamentis natos ſeſe arbitrantur. Ad hæc ſe ſtudia conuertant: talium virorũ facta imitanda ſibi proponant: horũ exemplis atque adeò veſtigijs inſiſtant. Hæ ſunt veræ laudes, quas nulla delebit obliuio: hic ſplendor perpetuus, cuius memoriam anni conſequentes excipient, & obſtupeſcent: hæc certiſsima virtutum decora: quæ omnium & litteris & linguis celebrabuntur.

Atq; hunc in finem iſta à nobis breuiter decurſa ſunt, nimirum vt huius illuſtriſsimi Archiepiſcopi exemplo, hominum mentibus veluti faces ad virtutem admouentes, quàmplurimi (ſi fieri poſſet) ad eius ſtudium incenderẽtur. Quæ

quidem ſapientibus haud iniucunda futura ſcio, ineptis autem & maleuolis, ſuſpecta videbuntur fortaſsis, & inuiſa. Verùm quid fieri expediat non vulgi arbitrio nos, ſed prudentium ſemper iuditio, metiri conſueuimus: & optimorum authoritate contenti, inſipientium voculas, & maledicta cõtemnimus. Quæ cùm ita ſint, ad hiſtoriam vnde pauliſper defleximus denuò reuertamur.

Defũcto ergo *Richardo Nixo, Gulielmus Ruggus* ſurrogatur anno ſalutis humanæ. 1536. De quo viro nihil proditum memoriæ, præterquã quòd extremo ſui pontificatus anno Norwycenſes (Ketto quodam duce) conſpirantes, hoſtilia cõtra maieſtatem regiam arma induerent. Qui quidem maximis perditiſsimorum hominum gregibus conflatis, tantas tragœdias excitarũnt, totam vt pænè *Angliam* eo motu concuterent. Quem tumultũ quoniam nos vno volumine cõplexi

plexi ſumus (quod cum iſto libello coniunximus) eò lectorem harum rerum cupiditate flagrantem remittemus. Quo autem iudicio id fecerimus, huius eſt neque temporis, neque inſtituti commemorare: conſilium certè fuit eius coniurationis caſus omnes atque euenta explicare, plenamque & perfectam Norwycenſis tumultus hiſtoriolam poſteris relinquere: quæ perpetuò cunctis, vitæ dux, & magiſtra foret, vt quo illi corruerent ſcelere cernentes perfidiam omnem, & proditionem (authoribus exitioſam ſemper & fatalem ſuis) perhorreſcerent. Legant igitur qui volent, & diligenter animaduertant, quæ tandem pręmia homines perniciosiſsimi pro ſcelere tanto, atq; patrię perturbatione conſecuti ſunt.

Ruggo proximus fuit *Thomas Thurlbeius*, legum doctor, à VVeſtmonaſterienſi epiſcopatu, ad Norwicenſem (vt loquuntur

quuntur) tranſlatus.

Quem virum ſi ingenij, prudentię, grauitatis, conſilij laudibus priuare conarer, amẽs certè videri poſſem, præſertim cùm eas illi naturæ atq; induſtriæ dotes oratione præriperem mea, quas ſemper huic (vno propè cõſenſu) vniuerſi tribuerint. Verùm enimuerò iſtuc in illo ſi non magnopere admirandum, at certè dolentiùs deplorandum fuit, quòd cùm vir talis, ac tãtus exſiſteret, omnes nihilominùs mẽtis atque ingenij neruos ad Romani Põtificis gloriam illuſtrandam conuerteret. Cuius tam acerrimũ ſe propugnatorem præbuit, vt *Maria* defuncta, honores potiùs omnes, quàm errores deponere maluerit. Vno ſe ſcelere commaculauit, quod quidem nõ patiar ſilentio preteriri. Etenim cùm glorioſiſsimus Ieſu Chriſti martyr *THOMAS CRANMERVS* (Cantuarienſis quondam Archiepiſcopus) vir quo nihil ſol cõſpexit vnquam

quam illuſtriùs) ſummo illũ amore, gratia, beneuolentia complexus, multis ipſum ſibi beneficiorum vinculis (quibus eum aſtrinxerat arctiſsimis) deuinxiſſet, nefariæ queſtioni quæ vitæ integerrimi pontificis conſtituebatur, nõ interfuit ſolùm, verumetiam quod multò ſceleratiùs eſt, & ad eius facinoris memoriã diuturniùs, cum *BONERO* (cruento illo chriſtianorũ Buſiride) crudeliſsimè præfuit. Quod facinus ſiue volens admiſit, ſiue inuitùs, neceſſe eſt omni ſe vituperio dignum fateatur, qui præſulem tanto honore, eruditione, prudentia, pietate præſtantem, dignitatis etiam ſuæ authorem, & (quod caput eſt) innocentem, ſententia ſua perfidioſiſsimè opprimeret: illiq; qui eum omnibus in rebus fulſit, ornauit, ſuſtinuit, cuncta (quantum in ſe fuit) priſtini decoris inſignia detraheret. Tantũ autem abeſt vt aut temporis, aut neceſsitatis excuſatione iſtius criminis labem ac

inuidiam à ſe deprecari potuerit, vt potiùs meo iudicio nominis ſui famam in æternũ beatiſsimi martyris ſanguine cruentarît. Nam quòd fœdo illo atque flagitioſo die lachrimas profudiſſe dicitur, vtiq; hæ non tam teſtes doloris quàm cõſcientiæ indices exſtiterunt. Quanquam quid mirum ſi vel mentis angor, & conſciẽtiæ ſolicitudo: vel nobiliſsimi & optimi de ſe meriti ſenis miſericordia, illi qui vultum illũ tum verè diuinum cõſpexit, & præſens (quod aiunt) præſentem contemplaretur inuitiſsimo (& quod credere fas eſt) magnopere reluctanti, lachrymas expreſſerit, preſertim cùm mihi iſtęc ſcribenti, atque illius glorioſiſsimi Antiſtitis caſum longo iam poſt temporis interuallo recordanti, ſubitò exciderint. Quid enim illo homine vixit vnquam in terris ſanctiùs? quid innocentiùs? quid humaniùs? quid omni laude, gloria, honore, immortalitate digniùs?

Cæterùm

Cæterùm hoc neſcio quo fato *Thurlbeio* contigit, vt quamuis in optimũ Prę-ſulem ingratus nimis atq; beneficiorum omnium immemor exſtitiſſet, *MATTHÆVM PARKERVM* tamen Cantuariæ quoq; Archiepiſcopum (inſigni certè probitate virum) non minùs erga ſe clementem atque propitium expertus fuerit. Nam cùm exſtincta *Maria* orbis reipublicæ ſubitò conuerſus foret, ac *Thurlbeius* dum pertinaciter nimis immanem Papæ tyrannidem tueretur, vnà cum alijs antiſtitibus omni excluſus honore (erat autem tum temporis Epiſcopus Elienſis, & defunctæ reginæ à cõſilijs) in Turrim Londinenſem conijceretur, facilè à clementiſsima Regina quidã amici eius impetrarũnt vt domi apud Pontificem eſſet. Vbi cum *Boxallo* (qui *Mariæ* quoq; à ſecretis fuit) diu certè vixit, cùm interim præſtantiſsimus Præſul in maximis occupationibus nũquam

ſalutis tamen illorum curam intermitteret, verùm omnes ingenij mãſuetudinis, & induſtriæ machinas adhiberet, quo animos illorum peſsimarum ſuperſtitionũ ſpinis ac ſentibus expediret. Sed altis defixæ radicibus, adeò funditùs inhęſerant, vt nullius certè (quod deflendum fuit) ingenio exſtirpari potuerint. Lamhithi obijt anno poſt natum Chriſtum milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo, in domo Archiepiſcopi Cantuar. & in eccleſia Lamhithenſi ſepultus eſt.

Thurlbeio (ita vti ſuprà diximus) ad Elienſem epiſcopatum euecto, *Iohannes Hoptonus* ſacræ Theologiæ profeſſor, ſucceſsit, anno Domini. 1554. De quo hoc tantùm perſcriptum inuenio, quòd cùm annos quattuor Norwicenſem rexiſſet eccleſiam, eodem quo *Maria* regina huius moleſtiſsimis vitæ ærumnis perfuncta obierat anno, ipſe quoque repentino (vt nonnulli ſuſpicantur) dolore

percul-

perculsus interijt.

Vltimus ordine, sed meritis princeps, fuit reuerendus in Christo pater *D. Jo. Parkhurstius*, clarissimus & spectatissimus vir, qui quotquot ante illū Norwici exstiterunt Pontifices, vnus ferè omnes virtutis laude superauit. Tempore *Mariæ* reginæ, multa passus est, grauissimisq; iactatus periclis: ex quibus deinceps Dei clemētia, ad eam (qua dudùm fruebatur dignitatem) emersit. Etenim anno tertio Reginæ *ELIZABETHÆ*, præsul Norwicensis factus, ita vixit vt omnes in illius vita ac moribus expressā veri Pontificis imaginem intuerētur. Quanta autem doctrina, iudicio, prudentia, ingenio sit, semperq; fuerit, quā subtili, quā acuto, etsi neminē qui illū nouerit ignorare arbitrer, tamen ex illius scriptis manifestò deprehēdi queat. Obijt Norwici anno salutis humanæ suprà millesimum, quingentesimo septuagesimo quarto.

Hactenùs Vrbis initia, atq; incrementa, res geſtas Norwicenſium, & Præſulum vitas, qui Eccleſiæ præſiderunt, breuiter explicauimus. Reſtat nũc vt (quod vltimo nos loco facturos ſpopondimus) Præfectorum vrbis, quos Balliuos nuncupant, tum Prætorum, atque Tribunorum plebis, (quos Vicecomites appellant) nomina ſubiungamus. Quæ vbi notis atque figuris (pro temporum ratione aptè adhibitis) diſtinxerimus : huic tandem volumini finem imponemus.

Eodem itaque iure (vti ſuprà memorauimus) vtuntur Ciues Norwicenſes, ijſdemque ritibus atque inſtitutis in Ciuitate gubernanda ſua, quibus Londinenſes vtuntur : Prætoremq; (Maiorem ipſi nuncupãt) Regis permiſſu quotannis deligunt : cui (quemadmodum Londinenſi) more perantiquo atq; ſolenni gladius præfertur.

Diu tamen, ſicuti quõdam Londinum quoq;

quoque, cæteræq; celebriores huius Insulæ Ciuitates, Præfectos seu Vicomagistros habuêre suos (nostra lingua Balliuos appellamus) cæterùm anno millesimo, quadringentesimo tertio, is administrandæ ciuitatis ordo primùm immutatus est, isq; quem nunc retinent institutus. At Balliuorũ nomina ne fortè delicatioribus fastidiò sint, prætereunda putaui : Prætorum verò & Vicecomitum , quandoquidem legentium plærisque (perindè vt obsoleta nimis atque plebeia) minus præbitura voluptatis existimem, breuiter summatimque, sicuti in fastorum codicillis antiquitùs perscripta inueniuntur, demonstrabo.

NOMINA

NOMINA PRÆTORVM (QVOS Maiores vocant) & Vicecomitum Norvvicenſium ab anno primo Henrici quarti ad decimum ſextum Elizabethæ Reginæ.

Anni Domini.	Anni Regum.	Anni Pontificum.	Balliua ſeu Præfectorum Vrbis nomina ad 4. annos.			
1399	Anno primo Hen. 4.	An. 29. H. Spencer Pō.	VValterus	Daniel.	Rob. Dunſtan.	Rich. VVhite. G. Eton.
1400	2	30	Rog. Blickley.	Barth. Blackney.	Tho. Gerrard	H. Skeyt.
1401	3	31	Io. Daniel.	Edm. VVarner.	G. Aplyard.	Gul. Euerard.
1402	4	32	Rob. Hunwoorth.	Io. Harlſton.	Gul. Sedman.	Io. Coppin.
1403	5	33	Guliel. Applyard.	Rob. Braſier.	Iohannes Daniel.	
1404	6	34	Guliel. Applyard. 2.	Sampſon Barker.	Io. Skie.	
1405	7	35	Guliel. Applyard. 3.	Io. Harleſton.	Rich. Spurdance.	
1406	8	36	Gualter. Daniel.	Edmundus VVarner.	Rich. Drue.	
1407	9	An. primo Alexādri.	Ioannes Daniel.	Thomas Garrard.	Io. VVurlyke.	
1408	10	2	Edmund. VVarner.	Thomas Partlet.	Io. Bixley.	
1409	11	3	Gualterus Daniel. 2.	Gualt. Mozley.	Io. Manning.	
1410	12	4	Robertus Braſier.	Ioannes Scotham.	Gauf. Audley.	
1411	13	5	Gul. Applyard. 4.	Ioannes Leuerech.	Io VVake.	
1412	14	6	Gul. Applyard. 5.	Rich. VVhite.	Io. Grunthorpe.	
1413	Anno pri. Henrici. 5.	An. 1. Ric. Courtney.	Richardus Drue,	Guliel. Sedman.	Rob. Luſſielde.	
1414	2	2	Ioannes Bixley.	Thomas Cock.	Henricus Raffman.	
1415	3	An. 1. Ioā VVakering	Ioan. Manning.	Rich. Mozley.	Thomas Occle.	
1416	4	2	Henricus Raffman.	Ioannes Aſgar.	Ioan. Moche'.	
1417	5	3	Ioan. Daniel. 2.	Gul. Rooſe.	Hen. Iacques.	
1418	6	4	Gul. Applyard. 6.	Robertus Baxter.	Io. Cambridge.	

HOC anno nefandam diri facinoris societatem contrà regem ineunt, Iohannes Holandius dux Exestriæ. Io. Montacut Sarisburiensis, Tho. Cantij, Hugo Spencerius Glocestriæ comites, nimirum vti regem ludorum statuto die, Oxonij, de improuiso opprimerent, sed detectis insidijs omnes perfidiæ pœnas luerunt. Nam Cantianus, & Sarisburiensis ad Cestriam quæ confugerant, interfecti sunt, Dux verò in Estsexia comprehensus securi percutitur.

2 *Hoc anno atrox pugna Salopiæ fuit, in qua interemtus est Tho. Perceius comes VVigorniensis, qui contrà regem conspiranerat: Henricus autem comitis Northumbrorum filius, multiq; alij capti vltimo supplicio afficiuntur.*

5 *Hoc anno naualis pugna fuit inter Anglos & Britones, sed Britones incensis ac depressis nauibus pænè omnibus fusi profugatiq; sunt.*

6 *Hoc anno fuit Monomachia Londini in Smythfield, inter Edmundum Cantij comitem, & Marrensem comitem Scotum, quo in duello Anglus Scotum magnificè superauit.*

8 *Hoc anno Richardus Scrup Archiepiscopus Eboracensis capite ob initã contrà regem coniurationem Eboraci plectebatur, ac non ita multò post Comes Northumbrorum, & Dominus de Bardelf, multiq; alij (qui contractis multis tam Anglorum quàm Scotorum millibus, regi bellum inferre decreuerant) tumultuaria pugna in agro Eboracensi deuicti, confestim capti sunt, Eboracumq; perducti, ibiq; capitibus mulctati.*

9 *Hoc anno tanta erat frigoris vis, vt per quindecim hebdomadas, cuncta continuo astricta gelu obriguerint.*

14 *Hoc anno rex Hierosolymam proficisci decreuerat, verùm repentino morbo implicitus, annũ agens quadragesimũ sextũ, ex hoc seculo migrauit.*

1 *HOC ANNO Robertus Stuartus, vnicus Iacobi Regis Scotiæ filius ab Anglica classe capitur, quo ex casu tãtũ pater dolorem accepisse fertur, vt infra paucos dies postquam id accidisset, vehemens eum luctus ac mœror exsiinxerit. Eodem etiam anno maxima pars ciuitatis Norwycensis repentinis ignibus deflagrauit.*

2 *Hoc anno legati ad Carolum Regem in Galliam mittuntur, qui regnũ Franciæ Edoardo tertio, ac posteris Angliæ Regibus debitum, repeterent: verùm Carolus adeò regem nostrum contemsit, vt per iocum ac ludibrium doliolum ad ipsam lusorijs pilis repletum per legatos suos transmiserit: cuius tamen petulantiæ Gallum non ita multò post magnopere pœnituit.*

Anni Domini.	Anni Regum.	Anni Pontificum.	Maiores.	Vicecomites.
1419	7	5	Gual. Daniel. 3.	Hen. Pecking. Io. Scothan.
1420	8	6	Rich. Spurdance.	Thom. Ingham. Rob. Asger.
1421	9	7	Gul. Sedman	Gu. Niche. Symon Cooke.
1422	An. primo Henrici. 6.	8	Io. Manning. 2.	Io. Gerard. Tho. Daniel.
1423	2	9	Io. Daniel. 4.	Io. Wrightue. Io. Hodkins.
1424	3	10	Thomas Baxter.	Guliel. Gray. Petrus Brasier.
1425	4	An. 1. Gu. Astwyck.	Tho. Ingham.	Tho. Weybie. Rob. Chaplein.
1426	5	2	Io. Asger.	Io. Copping. Io. Gleder.
1427	6	3	Tho Wetherby.	Io. Wylby. Rich. Pilbye.
1428	7	4	Rich. Motley.	Io. Alderford. Gregor. Draper.
1429	8	5	Robertus Baxter. 2.	Gul. Iselham. Io. Sypater.
1430	9	6	Io. Cambridge.	Rob. Toppys. Io. Penningus.
1431	10	7	Tho. Ingham. 2.	Gul. Astwel. Tho. Grafton.
1432	11	8	Tho. Witherbey. 2.	Io. Dunning. Augustr. Lang.
1433	12	9	Rich. Spurdance. 2.	Rob. Langley. Gul. Hempsted.
1434	13	10	Io. Garrard.	Rogerus Boten. Tho. Ball.
1435	14		Robertus Toppys.	Edmund. Breton. Petrus Roper.
1436	15		Rober. Chapleyn.	Rich. Brasier. Gualt. Crump.
1437	16	An. primo Th. Brown.	Io. Cambridge. 2.	Symon Walsoker. Clemens Fishma
1438	17	2	Io. Wellys gubernat.	Gualt. Eton. Io. Lingford.
1439	18	3	Io. Wellys. Custos.	Gualt Eton. Io. Lingford.
1440	19	4	Io. Clyftō. mil. custos.	Io. Brosierd. Io. Spicer.
1441	20	5	Io. Clifton. Custos.	Io. Gosleyn. Hen. Steyrmyn.
1442	21	6	Gul. Hempsted.	Tho. Aleyn. Robertus Seygrym.
1443	22	7	Guliel. Astwel. 2.	Io. Intwood. Rob. Alleyn.
1444	23	8	Robertus Topys. 2.	Io. Brosiard. Rob. Spicer.

3 *Hoc anno Richardus Cantebrigiæ Comes, Dominus Scrupus, & Thomas Graius, mortem Regi optimo nefariè machinantes ad Southamtonensem portum in conspectu Regis, regni proceru, & totius exercitus, perfidiæ pœnas dederunt.*

4 *Hoc anno nobilis ad Dagincurtum pugna commissa fuit, quo in prælio flos pænè omnis & robur Gallicæ nobilitatis interijt.*

5 *Hoc anno. a. d. V I. Kalendas Augusti, cum ingenti nauium classe Rex in Galliam trajcit, qui quaquauersus incedit, captis omnibus vrbibus, munimentis, atque castellis, Gallo fuso victoriæ decus mirifice propagauit.*

6 *Hoc anno Rotomagum (opulentissima Galliæ ciuitas) obsidebatur, & tandem per deditionem in potestatem Regis nostri peruenit.*

7 *Hoc anno inter nostrum & Franciæ Regem fœdus initur: quòd matrimonio Catherinæ (Caroli filiæ) quæ Henrico Regi nupserat, firmatum fuit.*

8 *Hoc anno Catherina ad VVyndesorium castrum filium enixa est, qui patris nomine Henricus sextus appellabatur: ac non ita multò post Rex Angliæ fuit. Etenim eodem anno pater iniquo fato exstinctus occidit, tricesimo sexto ætatis anno, vir omni maiestatis regiæ splendore circumfluens.*

1 *HOC ANNO Carolus Gallorum rex vita functus est, àcuius morte confestim vtriusq; regni proceres Henricum sextum Angliæ regem, communi omnium consensu Regem quoque Galliæ renuntiant.*

2 *Hoc anno Dominus Rogerus Mortimerus læsæ maiestatis conuictus, proditorum communi supplicio afficiebatur.*

3 *Hoc anno grauis incidit contentio inter Bedfordiæ ducem & VVintoniensem Episcopum.*

9 *Hoc anno Rex Parisiis coronatur.*

14 *Hoc anno diem obijt supremum Dux Bedfordiæ, vir tam pacis laude quàm belli gloria insignis, cuius morte res nostræ mirificè perculsæ atq; afflictæ, tandem funditus conciderunt.*

17 *Hoc anno ad quadrienium ciuitas Norwycensis libertate priuata, omne magistratuum ius amisit.*

21 *Hoc anno restituta denuò libertati fuit: Eodemq; anno Londini ictu fulminis Templum Diui Pauli deflagrauit: verùm ciuium industria ignis celeriter restinctus fuit.*

Anni Domini.	Anni Regum.	Anni Episcopi.	Maiores.	Vicecomites.
1445	24	9	Io. Clyston.	Io. Intwod. Robertus Alleyn.
1446	25	an. 1. Gual. de Hart.	Guliel. Asshwel. 3.	Io. Intwod. Robertus Alleyn.
1447	26	2	Thomas Catworth.	Io. Intwood. Robertus Alleyn.
1448	27	3	Thom. Catworth. 2.	Robertus Turbusher. Io. Vighton.
1449	28	4	Georgius Draper.	Robertus Brown. Io. Droll.
1450	29	5	Thomas Alleyn.	Io. Chyttock. Robertus Machin.
1451	30	6	Radulphus Seygrym.	Guil. Barley. Io. Gylberd.
1452	31	7	Robertus Toppys. 3.	Thomas Elys. Robertus Lyred.
1453	32	8	Io. Droll.	Edwardus Culter. Io. Clerck.
1454	33	9	Richardus Brown.	Richard. Beer. Galfridus Quinch.
1455	34	10	Georgius Draper. 2.	Gulielmus Norwich. Rich. Alboon.
1456	35	11	Richard. Brasier.	Thom. Buckingham. Io. Blunt.
1457	36	12	Io. Chyttock.	Galfridus Ioy. Io. Hunsworth.
1458	37	13	Robertus Toppis. 4.	Thomas Owdolf. Gul. Riuer.
1459	38	14	Io. Gilbert.	Gualter Godfrays. Edm. Colman.
1460	39	15	Thomas Ellis.	Rogerus Bestus. Io. Aubery.
1461	An primo Edward. 4	16	Gulielm. Norwich.	Io. Northal. Io. Cooke.
1462	2	17	Io. Batt.	Io. Burton. Rich. Hoste.
1463	3	18	Richardus Brasier. 2.	Henricus Spencer. Gul. VVyllys,
1464	4	19	Io. Gylberd. 2.	Gul. Swayn. Robertus Portland.
1465	5	20	Thomas Ellis. 2.	Gualth. Fornfield. Rich. Aniel.
1466	6	21	Io. Chyttock. 2.	Io. Roose. Io Beckles.
1467	7	22	Rogerus Bestus.	Io. Lawse. Robertus Hyckling.
1468	8	22	Gualt. Fornfield.	Rich. Farror. Thom. Veyl.
1469	9	23	Io. Awbery.	Tho. Buckingham. Gul. Peper.
1470	10	24	Edwardus Cutler.	Io. Haruy. Hen. Owdolf.
1471	11	25	Ic. But. 2.	Io. VVellys. Rob. Aytmer.

25 *Hoc anno Anglia tota terræ metu horribili contremuit.*

29 *Hoc anno Gulielmus de la Poole dux Suffolciæ Doueriæ subitò ab aduersarijs captus interficitur. Eodemq; anno Cantiani Ioannem quendam cognomento Caddum ducem sibi constituunt, infestisq; agminibus Londinum versus contendunt, quò cùm veniissent, cuncta spoliant, vastant, incendunt, diripiunt, quosdámque de Nobilitate viros (& inter illos Dominum Sayum principem totius Angliæ quæstorem) securi percutiunt. Nihilominus ad extremum (diuina benignitate) fusi profligatiq; dignas scelerum pœnas pertulerunt.*

31 *Hoc anno ad Fanum Albani acerrima fuit pugna inter Regem & ducem Eboracensem, vbi Neuyllorum (patris ac filij) Sarisberiæ, & Varuici Comitum virtute, atq; consilio, regiæ copiæ fusæ fugataq; sunt, ac Rex ipse comprehensus.*

32 *Hoc anno Ars Typographica in Germania primùm inuenta fuit, ars vna omnium excellentissima, cuius beneficio bonarum literarum disciplinæ sese per omnem pænè terrarum orbem diffuderunt.*

37 *Hoc anno denuò ducis Eboracensis copiæ ad Northamptonum cum regijs cohortibus confixêre: vbi iterum maximo prælio rex vincitur: captiuusq; Londinum ducitur.*

38 *Hoc anno in agro Eboracensi iuxtà castellum Middleham Regina ducem Eboracensem aggressa maximo prælio deuicit. Qua in pugna dux ipse cum Edmundo filio Rutlandiæ Comite interfectus fuit. Et Richardus Neuyllus (pater) comes Sarisberiensis captus, aliquanto post cum nonnullis alijs capite multatur.*

39 *Funestissimus fuit hic annus, & ciuili clade insignis, quæq; mirabilem in modum regni vires imminuit. Etenim duo validissimi exercitus iuxtà Eboracum inter se atrocissimè depugnauerunt. Quo in certamine triginta pænè millibus ex vtraq; parte interfectis, victoria tandem Edoardo Marchiæ Comiti cessit: qua potitus Henricum dignitate regia priuauit, sibiq; principatum asciuit.*

5 *Hoc anno Norwyci Cathedrale Templum repentinis ignibus exustum est.*

9 *Hoc anno Dominus VVellys in comitatu Lincolniæ tumultus quosdam conciuit, qui quidem celeriter repressi sunt, atq; is merito affectus supplicio.*

10 *Hoc anno inter Cantianos noui motus fiunt, qui Londino ac circumuicinis vrbibus multùm damni attulerunt.*

Anni Domini.	Anni Regum.	Anni Episcoporũ.	Maiores.	Vicecomites.
1472	12	26	Rogerus Beſtus. 2.	Edmundus Staty. Tho. Storm.
1473	13	An. 1. Io. Goldwel.	Rich. Farror.	Io. Cooke. Gul. London.
1474	14	2	Thomas Ellys. 3.	Iacobus Goldbeter. Io. Bright.
1475	15	3	Gul. Swayn.	Tho. Cambridge. Rob. Lound.
1476	16	4	Io. VVellys.	Hamo Claxton. Robertus Cooke.
1477	17	5	Io. Portland.	Greg. Clerck. Philip. Curſon.
1478	18	6	Rich. Farrer. 2.	Rob. Oſborn. Tho. Beaſield.
1479	19	7	Tho. Buckingham.	Robertus VVellys. Tho. Philips.
1480	20	8	Io. Awbry. 2.	Rich. Gardyner. Tho. VVurth.
1481	21	9	Gul. London.	Rich. Ballys. Radulp. Eſt.
1482	22	10	Gul. Aylmer.	Rob. Belton. Io. Denton.
1483	An. pri. Rich. 3.	11	Rich. Farror. 3.	Gul. Roſa. Gul. Farror.
1484	2	12	Io. Cooke.	Io. Ebbes. Gul. Curteys.
1485	An. pri. Hen. 7.	13	Hamo Claxton.	Io. Tylles. Io. Swayn.
1486	2	14	Tho. Buckingham. 2.	Io. VViskins. Io. Powel.
1487	3	15	Io. VVellys. 2.	Io. Pichamor. Io. Caſtyn.
1488	4	16	Tho. Beaſield.	Io. Reed. Rich. Howard.
1489	5	17	Rich. Ballys.	Tho. Cauſe. Nich. Dauy.
1490	6	18	Rob. Gardyner.	Nich. Cowlych. Gul. Gogeen.
1491	7	19	Gul. London. 2.	Steph. Brayn. Tho. Cock.
1492	8	20	Rob. Aylmer. 2.	Io. VVarnes. Io. Rightwiſe.
1493	9	21	Rich Farror. 4.	Robert. Long. Barth. King.
1494	10	22	Steph. Bryan.	Io. Horſley. Rob. Burrow.
1495	11	23	Io VVellys 3. Tho. Cauſe.	Rich. Braſier. Robertus Beſtus.
1496	12	24	Io. Reed.	Io. Francys. Io. Pethode.
1497	13	25	Nic. Cowlych.	Greg. Clerck. Thomas Aldych.
1498	14	26	Rich. Farror. 5.	Gul. Ramſey. Thomas Hennyng.

11 *Hoc anno inter Regem & Richardum Neuyllum comite m Varuicensem ad Barnetum pugnatum fuit, quo in certamine Comes ipse (vir inuictissimus) ac Ioannes (frater illius) Marchio Montacutensis ceciderunt: & Rex ipse non incruentam victoriam adeptus est. Eodem anno ad Tewksheriam infestis armis denuò concursum fuit, quo in certamine Regina vincitur, suis ferè ad vnum cæsis, aut captis. Eodem etiam anno Edoardus Princeps filius Henrici sexti, adolescens præstantiss. à Duce Glocestriæ (vt fama est) crudelissimè confoditur.*

12 *Hoc anno Rex Henricus in turri Londinensi, ab eodē Richardo Glocestriæ duce (vt constans fama est) miserrimè trucidatur.*

14 *Hoc anno Edoardus rex Norwycum venit, paxq; inter Angliam & Galliam paulò post facta est, quæ ad septennium duratura foret.*

17 *Hoc anno Dux Clarentiæ (imperio fratris) pessimo in omni memoria hominum exemplo Caleti in dolio (vt aiunt) vini cretici exstinctus est. Cuius mortem horribilis pestis insecuta, quæ omnem Angliam quaquauersus peruagata est.*

19 *Hic annus insignis fuit clade ciuium Norwycensium ex pestilentiæ lue: quæ inibi incredibilem hominum multitudinem absumsit.*

20 *Hoc anno mense Iulij, tanti terræ motus in agro Norwysensi, totáque pænè Anglia facti sunt, vt multa in diuersis locis ædificia eorum vi labefactata corruerint.*

22 *Hoc anno rex Edoardus cessit è vita, annum agens ætatis circiter. 50.*

1 *HOC ANNO Edoardus Princeps eiusq; frater (filij Edoardi regis nuper defuncti) immanissimo scelere Richardi Ducis Glocestrensis in turri Londinensi, contrucidantur: quo eius flagitij diritate regiam sibi maiestatem acquisiuit.*

2 *Hoc anno in Tyrannī coniuratio Nobilium facta est, cuius princeps exstitit Henricus Buckhingamiæ Dux, cui ob id posteà capto, Sarisberiæ caput amputabatur. Nobilis hic quoque annus fuit interitu Richardi, (Regis post natos homines sceleristissimi) qui apud Pagum Bosworthum paullo vltra Leycestriam, in prælio contra Richmondiæ comitem, inter confertissimos hostes pugnans confoditur.*

1 *HOC ANNO nouum, & in omni sanè ætate prorsus inauditum morbi genus, per totam Angliam peruasit, (qui sudoris lues nuncupatur) dira equidem pestis, quæq; innumerabilem mortalium multitudinem exstinxerit.*

Anni Domini.	Anni Regum.	Anni Pontificum.	Maiores.	Vicecomites.
1499	15	Anno pri. Tho. Ian.	Robertus Gardyner.	Io. Randolf. Robert. Pichamor.
1500	16	An. pri. Rich. Nycx.	Io. VVarnes.	Galfr. Steward. Io. Crome.
1501	17	2	Io. Rightwyse.	Rich. Aylmer. Gul. Drake.
1502	18	3	Gul. Ramsey.	Simon Reed. Io. Smyth.
1503	19	4	Tho. Cause.	Tho. VVarnes. Thomas Chaunt.
1504	20	5	Robertus Burrow.	Gul. Hart. { Io. Henry. Io. VValters.
1505	21	6	Greg. Clerck.	Tho. Large. Gul. Godfrye.
1506	22	7	Robertus Gardner. 3.	Tho. Clerk. Io. Swayn.
1507	23	8	Tho. Aldrich.	Io. Clerck. Robert. Farror.
1508	24	9	Gul. Ramsey. 2.	Ed. Reed. Robertus Broome.
1509	Anno pri. Henrici. 8.	10	Robertus Long.	Henricus Meir. Rob. Iannys.
1510	2	11	Rich. Brasier.	Io. Marsham. Radul. VVylkins.
1511	3	12	Richardus Aylmer.	Robertus Bell. Steph. Stallon.
1512	4	13	Gul. Hart.	Steph. Stawn. Io. Corpusly.
1513	5	14	Ioannes Rightwyse. 2.	Io. Busking. Tho. Pickerel.
1514	6	15	Greg. Clerck. 2.	Henricus Schoolehowse. Io. Terry.
1515	7	16	Io. Clerck.	Robert. Barker. { Rich. Farrome. Gul. Broome. { Tho. VVilkins.
1516	8	17	Tho. Aldrich.	Tho. Bawber. Greg. Cause.
1517	9	18	Robertus Iannys.	Rob. Green. Tho. Cory.
1518	10	19	Io. Marsham.	Rob. Hemyng. Hamo Lynsted.
1519	11	20	Gul. Hart. 2.	Io. Brown. Barth. Springwel.
1520	12	21	Io. Clerck. 2.	Nic. Syphat. Io. VVestgate.
1521	13	22	Edwardus Reed.	Tho. Moore. Robertus Haul.
1522	14	23	Io. Terrey.	Reginal. Littelprow. Gul. Norfolck.
1523	15	24	Robertus Iannys. 2.	Steph. Raynbow. Hen. Salter.
1524	16	25	Tho. Pickerel.	Rober. Leech. Io. Swayn.

2 *Hoc anno Rex Henricus Norwycum venit.*

3 *Hoc anno ingenti denuò terræ motu Angliæ conquassata fuit.*

7 *Hoc anno natus fuit inuictissimus princeps Henricus, rex eius nominis octauus.*

16 *Hoc anno Arthurus princeps duxerat in vxorem Catherinam Hispaniæ regis filiam.*

17 *Hoc anno mortuus est Arthurus princeps summæ spei adolescens.*

19 *Hoc anno Io. VVindamius miles securi percutitur. Eodemq; anno ciuitas Londinum incendio pænè absumpta fuit. Præterea assidui imbres, tonitrua, fulgura, procellæ vbiq; exstiterunt.*

20 *Hoc anno sexto Augusti & ipso die transfigurationis domini nostri in parochia sancti seruatoris Norwyci natus est Matthæus Parker in Theologia Doctor, vltimus decanus collegij de Stoke iuxta Clare, posteà decanus de Lincolne. Tandem Archiepiscopus Cantuariæ sub Elisabetha Regina: qua regnante, fato concessit. 17. Maij.*

23 *Hoc anno. 25. Aprilis horribile incendium Norwycensem vrbem afflixit, adeò vt continuos quattuor dies funestis ignibus ciuitas conflagrauerit. Eodemq; anno quarto Iunij consimili casu denuò incensa fuit.*

24 *Hoc anno Io. Colettus Diui Pauli decanus, suis sumtibus magnificam scholam exstruxit in ea parte cœmiterij Paulini, quæ ad orientem spectat. Eodem anno mortuus est Henricus eius nominis septimus, cui successit filius eius illustriss. Henricus octauus.*

1 *HOC ANNO Iacobus Scotiæ Rex hostili exercitu Angliam inuadens, cum magna Scotorum strage profligatur. Eodemq; anno magna pars templi Norwycensis cum libris pænè omnibus ac Ecclesiæ ornamentis combusta fuit.*

5 *Hoc anno rex in Gallia prosperè bella gessit, Tornacum & Turwynum oppida munitiss. vi cœpit: domi verò Regina duce Comite Surrahio Scotos debellauit.*

7 *Hoc anno Greenwyci nata est Maria, quæ posteà Angliæ Regina fuit.*

8 *Hoc anno tanta fuit glacies, tantusq; tamque perpetuus niuiũ rigor vt omnia vbiq; flumina congelauerint, ac equi carriq; onusti Tamesim transierint. Eodem etiam anno fuit dira illa Dies May Londinensibus lugubris & infœlix, quam & hodiè atram & infaustam vulgò nuncupant.*

10 *Hoc anno vniuersa pænè Anglia sudoris lue, & fame afflicta fuit.*

Anni Domini.	Anni Regum.	Anni Episcoporũ.	Maiores.	Vicecomites.
1525	17	26	Rob. Farrer.	Aug. Steward. Gul. Layer.
1526	18	27	Rob. Burrow.	Gul. Russel. Io. Vvats senior.
1527	19	28	Rad. Vvylkins.	Tho. Grew. Io. Clerck.
1528	20	29	Gul. Rome.	Tho. Cranck. H. Fuller.
1529	21	30	Tho. Greene.	Io. Curat. Io. Corbet.
1530	22	31	Tho. Bawber.	Tho. Naighton. Nic. Sotherton.
1531	23	32	Edoard. Reed. 2.	Rich. Cattlyn. Gul. Rogers.
1532	24	33	Reginal. Littlepreu.	Io. Groot. Gul hast.
1533	25	34	Tho. Pickerel. 2.	Adam. Laws. Reg. Cowper.
1534	26	35	Aug. Steward.	Gulielmus Lyn.
1535	27	36	Nic. Syphat.	Robertus Brosn. H. Crook.
1536	28	An. primo Gul. Rug.	Rob. Farrer. 2.	Edmun. Vvoodd. Tho. Thetford.
1537	29	2	Gul. Layer.	Rob. Rug. Robertus Palmer.
1538	30	3	Th. Pickerel. 3.	Nic. Osborn. Io. Humberston.
1539	31	4	Nich. Sotherton.	Iacob. Marsham. { Tho. Vvalters. Io. Tracye.
1540	32	5	Tho. Grew.	Thomas Cod. Io. Spencer.
1541	33	6	Robertus Liech.	Fœlix Puttock. Io. Quash.
1542	34	7	Gul. Rogers.	Tho. Cock. Rich. Lany.
1543	35	8	Eduardus Reed.	Rich. Alee. { Gul. Morrant. Tho. Marsham.
1544	36	9	Henricus Fuller.	Edmund. Vvarden. Rob Marlyn.
1545	37	10	Rob. Rug.	Rich. Suckling. Robertus Lyng.
1546	38	11	Aug. Steward. 2.	Rob. Michles. Bernard. Ardbird.
1547	An. primo Edoardi. 6.	12	Robertus Rich.	Tho. Lowsing. Gul. Herd.
1548	2	13	Edmund. Vvod. 2. Gulielm. Rogers. 2.	Hen. Bacon. Io. Atkins.
1549	3	14	Tho. Cod.	Rich. Fletcher. Gul. Verror.
1550	4	An. primo Tho. Thulbey.	Rob. Rug. 2.	Tho. Morley. Io. Vvalsers.

11 *Hoc anno diluuium fuit, ad diem (quem vocant Sancti Leonardi) quod hodierno etiam die Diui Leonardi diluuium appellatur.*

12 *Hoc anno Duci Buckingamiæ ob proditionis scelus, ceruices securi incisæ sunt.*

13 *Hoc anno Imperator Carolus quintus in Angliam venit, & à Rege nostro magnificentissimè excipitur.*

14 *Hoc anno in Angliam venit Christernus Daciæ rex.*

17 *Hoc anno ob religionem maximi motus fiunt in Germania.*

20 *Hoc anno multis in locis mortalium corpora denuò lætali illa sudore diffluxêre, sed præcipuè Londini.*

21 *Hoc anno intollerabilis illa Antistitis Romani potestas edicto regio diminuta fuit.*

23 *Hoc anno omnium ordinum consensu Rex Anglicanæ Ecclesiæ supremum caput renuntiatur.*

24 *Nobilis fuit hic annus ortu excellentiss. principis Elisabethæ (Reginæ nunc nostræ illustriss.) quæ septimo die Septembris Greenwyci nata fuit.*

25 *Hoc anno Romani Pontificis exsecranda Tyrannis penitus ex Anglia profligata fuit.*

Anni Domini.	Anni Regum.	Anni Pontificum.	Maiores.	Vicecomites.
1551	5	2	Rich. Dany.	Io. Aldrich. Tho. Gray.
1552	6	3	Thomas Cock.	Rob. Norman. Io. Bungey.
1553	An. pri. Re. Mariæ	4	Thomas Croock.	Nic. Norgat. Io. Howse.
1554	2	Anno pri. Io. Hopto.	Thomas Marsham.	Tho. Malbey. Gul. Mingex.
1555	3	2	Fœlix Puttock. 2. Tho. Codde. 2.	Tho. Green. Io. Bloome.
1556	4	3	August. Steward. 3.	Thomas Sotherton. Leonardus Sotherton.
1557	5	4	Henricus Bacon.	Edmund. VVolsey. { Tho. Lyn. Io. Beniamyn.
1558	An. 1. Re. Elysabeth.	5	Io. Aldrich.	Thomas Parker. And. Quash.
1559	2		Rich. Flecher.	Tho. Culley. Tho. Tesmond.
1560	3	An. 1. Io. Parchurst.	Robertus Michels.	Tho. VVhall. Rich. Heede.
1561	4	2	Gul. Myngey.	Rob. VVood. Tho. Peck.
1562	5	3	Gul. Ferror.	Tho. Ferror. Tho. Beomond.
1563	6	4	Rich. Daui. 2.	Christoph. Some. Eliseus Bate.
1564	7	5	Nic. Norgate.	Rob. Sucklyng. Io. Gybbes.
1565	8	6	Thomas Sotherton.	Io. Sotherton. Tho. VVynter.
1566	9	7	Henricus Bacon. 2.	Tho. Petts. Io. Suckling.
1567	10	8	Tho. VVhall.	Io. VVorsley. Tho. Layer.
1568	11	9	Tho. Parker.	Io. Reed. Symon Bond.
1569	12	10	Rob. VVood.	Christof. Layer. Rich. Baat.
1570	13	11	Io. Aldrich. 2.	Tho. Gleane. Robertus Gostlyn.
1571	14	12	Thomas Green.	Henry Greenwood. Edoardus Pye.
1572	15	13	Robertus Sucklyng.	Nic. Sotherton. Franciscus Rag.
1573	16	14	Tho. Peck.	Georg. Bowgeon. Tho. Stokes.
1574	17	15	Christoph. Some.	Nich. Baker. Tho. Gooeche.